


Liber oblatus

Admodum Rev.

[illegible]

RR. PP. Eremitarum Camaldulensium
prope Varsaviam

Prum Camaldulensium Montis Regij prope Cracoviam.

VERI & PII

SACERDOTIS IDEA

Seu

VITA R.D. IACOBI MERLO HORSTII,
PASTORIS B. MARIÆ VIRGINIS IN
PASCULO COLONIÆ,
SS. Theol. Licent.

A SODALITATE ECCLESIASTICO-MARIANA COLON.
adornata.


Ad CLERICORUM, *& inprimis* PASTORUM
imitationem accommodata.



COLONIÆ,
Apud IOANNEM KINCHIUM,
Sub Monocerote veteri,
ANNO M. DC. XLV.

R. R. Patrum Camaldulensium
Montis Regii ad Varsaviam





ILLVSTRISSIMO
& Reuerendissimo D.
D. FABIO CHISIO
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO NERITONENSI, eiusq; S.æ Sedis ad tractum Rheni & alias inferioris Germaniæ partes, ac ad tractatus Pacis vniuersalis cum potestate Legati de Latere Nuncio &c. Domino suo colendissimo.

REdit ad te Illustris.me & R.me Præsul, Iacobus Merlo-Horstius; sed in imagine: quã ipse dũ viueret, natiuis plenæ, cumulatæq; virtutis coloribus adumbrauit, ego licet rudiore

calamo delineatam, vt veram tamẽ pij Sacerdotis & animarum vigilãtissimi curatoris Ideam offero, vt perennet eius viri memoria, quem Celsitudo tua non solum vsu, familiaritateque sua dignum existimauit; sed etiam dilectissimæ Sponsæ suæ Neritonẽsis adiutorem, vt animo pridem, sic reipsa optasset, nisi diuina prouidentia tunc ei mercedem laborum destinasset, cum annum ætatis 47. attigisset, eũ ipsum, inquã, annum, vt ob-

obſeruauit Celſitudo tua, quo S. Carolus Boromæus Iacobi è præcipuis Patronus (ad cuius vitam notis illuſtrandam voti religione ſe obligarat) è viuis noſcitur abijſſe.

Ita diuino conſilio, ſummorumq; virorum rogatu cõtigit, vt dum ipſe Patroni ſui res geſtas, vt formã Cleri pararet orbi proponere, Iacobi vita, quaſi norma regulaq́ue viuendi Sacerdotũ, & curatorum animarũ publico daretur.

Sed cuius meliore, quàm tuo PRÆSVL ILLLVSTRISSIME, ſub patrocinio, cui vita, mores & virtus Iacobi perſpecta, laudata & probata fuit, cuius aſcetici libri præſertim PARADISVS ANIMÆ ET CHRISTIANVS THEODIDACTVS aſsiduè verſantur manibus?

Exſtet hoc apud poſteros incorruptiſsimi, religioſiſsimiq́ue teſtis de Iacobo, tanti, inquã, Præſulis præconium, vitam eius, moresq́; ſcriptis libris viderii

deri conſentaneos fuiſſe, quem ideo non viuum tã-tum ſumma coniunctio-ne, familiaritateque ; ſed mortuum etiam eo hono-re dignata fuit, Tua Celſi-tudo , vt eius manu ſcri-ptas preces , & decadem, qua Deiparam ſalutare ſo-litus eſt, præter alia , velut amoris , eiuſque vitæ inte-gritatis teſſeram ſeruan-dam duxerit.

Erit hoc calcar cupidis vitæ ſanctioris in Eccleſia-ſtico ſtatu degentibus , vt

vt & ascéticos eius relictos orbi libros euoluant studiosius, & vitam; moresque consectentur libentius, quem tali iudicio nouerint esse viuum & mortuum approbatum. Ipse etiam è cœlis, vt tam piè & innocenter transacta vita sperare iubet, & moriens facturum se promisit, Deum Opt. Max. exorare non desinet: vt Celsitudinis tuæ sanctis votis, conatibus, &, indefessis laboribus adspiret cœlestis

ſtis Pater, & optatam Pacem Orbi Chriſtiano clementer impertiatur.

Coloniæ 20. Martij, Anno ſalutis M. DC. XLV.

Illvst.mæ & R.mæ Cels. V.

deuotus cliens

Ioannes Kinchivs.

AD
SERENISSIMVM
Reuerendissimumque D.
D. FRANCISCVM
DEI ET S. APOST. SEDIS
GRATIA EPISCOPVM VIRDVNENsem &c. Decanum Metropolit. Colon. S.R.I. Principem, Ducem Lotharingiorum &c.

SODALITATIS ECCLESIASTICO-Marianæ Præfectum,

ADMODVM RR. ET AMPLIS.os
DD. CONRADVM
A LISKIRCHEN PRÆPOSITVM S. CVNIBERTI, ET
IACOBVM
LINNICHIVM DECANVM S. GEORGII Assistentes,

CAETEROSQVE SODALES OMNES, *& Clerum vniuersum.*

PRÆFATIO.

VItam IACOBI MERLO HORSTII Serenitatis Vestræ Sacellani, (cuius post

post Deum curam suã Pastoralem, eique coniũctam vitam quietã, & otio literario commodissimam, viuus & moriens tribuebat) ideo Sodalitas, Illustrissimorum virorum rogatu, suo curauit nomine typis publicandam; vt existeret Sodalibus, quorum præfecturã sæpius maxima laude & emolumento cœtus Ecclesiastico-Mariani gessit, viua quædam regula, non literis, sed moribus expressa, quam facilè quiuis de Clero possit factis imitari. *Facilis* ait S. Leo *ad exhortandum sit ratio efficax ad suadendum; validiora sunt tamen exempla, quam verba, & plenius est opere docere, quam voce.* Nam quod per præcepta prolixis verbis vix tandẽ auditor percipit, aut sibi patitur persuaderi, facili negotio velut in imagine speculoque qui fieri possit, oculis exhibetur, & nostrorum operum deformitas elucet, quoties cũ aliorum virtutibus comparatur. *Qui plenissimè* monet S. Gregorius *intelligere appetit, qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est: vt ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est; ex iis quippe, quibus plenissimè bona adsunt perpendit rectè, quæ sibi minus sunt,*

Exempla plus mouent, quã verba.

Serm. de S. Laur.

24. Moral. c. 6.

atque in illorum pulchritudine conspicit, fœditatem suam, quam in semetipso & perpeti potest, & sentire non potest: iustorum ergo debemus vitam conspicere, vt subtiliter deprehendamus nostram: illorum videlicet species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur, quia viua lectio est vita bonorum.

Iacobus Merlo viua regula Sodalitatis.

Et sanè quisquis leges duodecim Sodalitatis percurrerit, & velut normam factis huius viri, verbis & cogitatis aptarit, vsu comperiet, ad amussim omnia respondere.

Omnes eius leges seruauit ad amussim.

Principio scopum Clericis propositum propriam & proximorũ perfectionem omnibus suis actionibus, lucubrationibus & negotijs præfigebat, ac reipsa præstitit, quod eum in Timotheo monebat Apostolus. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate: dum venio attende lectioni, exhortationi & doctrinæ, noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij: Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus, attende tibi & doctrinæ: hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.*

1. Tim. 4.

Quo-

Quotidie conſcientiam veſperè cum 2.4.7.
domeſticis, quorum ſingularem curam
habuit, diſcutiebat, & lectioni libri ſpi-
ritualis, vel meditationi vacabat, ſacram-
que Deo litabat hoſtiam. memor 2. 4. 6.
regulæ.

Omni ſeptimana confeſsione men-
tem expiabat: Sodalitatem die Iouis fre-
quentabat, eiuſq; progreſſum apud alios
etiam cum ferret occaſio promouebat,
ad mentem 3. & 11. regulæ. 11.

Venerabatur inprimis S.am Dei Genit-
ricem Mariam, & S. Petrum Apoſtolorũ
verticem, iuxta 5. & 6. monitum, id ſatis 5. & 6.
eius lucubrationes præſertim tabulæ te-
ſtamentariæ manifeſtant.

Quali virtutis exemplo præluxerit
omnibus, quo flagrarit animarum zelo,
qua diligentia viſerit ægros, & adſtiterit
morientibus iuxta. 8. 9. 10. iuſsionem, 8.9.10.
fusè ſuis locis apparebit. Adeoque duo-
decimã exactè ſeruauit, quod licet ſciret
eas leges vi ſua neminẽ ad culpã obliga-
re, noluerit tamẽ in illas peccare, quoad
eius fieri per negotia poſſet, ne ſe fru-
ctibus vberrimis & præmijs ſpoliaret. Ita

Duobus medijs proficiebat.

qui semper omnium regularum obseruātissimus fuit, hoc velut canali diuina in se dona deriuare solitus est, gratiæq; cœlestis auxilia copiosiora percipere, quæ non ignorabat in cultu augustissimi altaris Sacramenti crebraque eius fruitione ac Deiparæ patrocinio contineri: quare quidquid ad vtriusque cultus incrementum crebra mentis consideratione; auctorum, qui hac de re scripserunt volutatione, quidquid dicendo, monendo, scribendo in se, vel alijs efficere potuit, non destitit adhibere, vt tam aquæductum Deiparam, quam ipsum fontem Christū omnibus aperiret, & ex eo plenis faucibus fluenta donorum cœlestium haurienda propinaret; è quo fonte nouerat omnem se mentis tranquillitatem, gaudium animi continuum, rerum caducarum contemptum, & cœlestium desiderium continuo gustare; nec hanc suam sitim vnquam satis explere posse, quin maioris gratiæ, & solius quidem augmentū auidissimè semper expeteret; S. Bernardi secutus monitū: *Sola enim gratia est, qua egemus, sola est gratia, qua saluamur, quid nos alia*

Cultu V. Sacramēti & Deiparæ.

Sitis solius augendæ gratiæ.

Ser. de Nat. B. V.

alla concupiscimus? quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia ipsa, quod quærit, inuenit, & frustrari non potest.

Profectò neque doctrinam curiosam sine peruerso, neque vani nominis vmbram, nec eius perennitatem in terris, aut dignitates ambiuit, vel magnatum fauorem, vt altius eueheretur, licet nec petenti obtruderentur: solum quærebat augmentum cœlestis gratiæ: & per canalem ipsum MARIAM: per eam accessum habuit ad filium, eiusque vitæ consideratio-ni pariter & imitationi se impendit, vt assecutus sit aliqua ratione quod mellifluus Bernardus; quem sibi vitæ regulam præfixerat; & non ex vano cum eodem potuerit coram Sodalibus suis gloriari, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea commorabitur. Et ego Fratres ab ineunte mea conuersione pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei, primum quidem infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in oran-*

Ser. 43 8. Cant.

Amor Iesu Crucifixi.

in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquẽdo, sputorum, colaphorum, subsannationum, clauorum, quæ in salutem nostram sylua Euangelica copiosissima noscitur protulisse. In æternũ nõ obliuiscar miserationes istas: quia in ipsis viuificatus sum. Ex his mihi interdũ potus salutaris amaritudinis, in his rursum suauis vnctio consolationis. Hæc me erigũt in aduersis, in prosperis reprimunt: in his plenitudo scientiæ. Hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis, hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodum familiaria, hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Iesum, & hunc Crucifixum.

Quod si quis hos affectus in Iacobo desideret, eius libellum, quem *Fasciculum myrrhæ* nominauit, & *Paradisi* sectionem sextam & 7. consulat. In his cũctos Christi labores, rhythmis elegantissimis illigatos, omnem passionis & vitæ cursum cum Deiparæ laudibus copiosissimè reperiet, mixta suauissimis omnium virtutum affectibus: inde pietatis studiosus hauriet *mel de petra, & oleum de saxo durissimo; duro ad verba, duriora ad verbera, durissimo ad crucis tormenta.*

S. Bern. serm. 1. in Pentec.

In-

Inuento iam fonte per aquæductum, quem ei leges Sodalitatis monſtrarant, totus in eo fuit, vt vitam Sacerdote & animarum curatore dignam duceret, & huc omnia ſtudia, dicta, facta & cogitata reuocabat. Hinc libros ſibi comparauit, & euoluit omnes, qui poſſent ſubſeruire propoſito; tum velut apis induſtria ſelegit ea ſolertiſsimè, quæ mores inſtruerēt, ad animi puritatem, corporis integritatē, paſsionum refrænationem, vitiorum exſtirpationem, virtutum omnium inſitionem, augmentum, perfectionem, ad amoris diuini, proximique feruorem, ſuæ cum voluntate diuina conformationem conducere videbantur; hæc prius ipſe crebra mentis commentatione verſabat, diſpiciebatque modos & vias, quibus ipſe ſibi compararet, preces certas concinnabat, quibus à Deo gratiam ad exercendum vberiorem impetraret, ieiunia, corporisque afflictationes adhibebat, quibus obtenta cœlitus munera ſeruaret, muniret, confirmaret. Sacra ſcriptura, Sanctorumque Patrum monita legebat indies, nota-

Studiū ſatisfaciendi officio ſuo.

Proficiēdi in virtutibus.

notabat sentẽtias & dicta rariora: quibus memoriæ mandatis firmius animum cõtra oppositi vitij tentationes obarmaret.

Iam vero quæ paulatim vsu & exercitio piorum operum ipse compererat esse magis idonea media vitiosarum cupiditatum exstirpationis, virtutis inserendæ, pietatis fouendæ, charitatis nutriendæ, libris etiam scriptis alijs publicabat: vt nõ vno tantum corde, vel ore; sed omnium lectorum Deum coleret, amaret, veneraretur, & cum Psalte regio diceret. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.*

Alios inflammãdi &c.

Ad imitationẽ vitæ Christi.

Hinc ipsa profluxerunt verba, quibus lectorem ad vitæ Christi considerationem & imitationem exhortatur. *Ecce speculum vitæ Christi est, inspice ô Christiane, tuamq; compone, & quia rectum sui pariter, & obliqui regula est, in illa decorẽ multũ, variasq; virtutes obserua: in tua maculas & vitia: sed tãto facilius eluenda; quo diligentius speculũ sine macula consules. Illud ergo obseruetur oculis tuis, & in Christi vita meditare die ac nocte, vt vitæ tuæ vitia, & Christi virtutes agnoscas, illorum odium, harum amorem & imitandi desi-*

In præfat. Fasciculi.

derium.

derium concipias, meditatio enim notitiam parit, illuminat intellectum, affectum excitat, & voluntatẽ accendit, at verò ignoti nulla cupido, & quid mirum, si paucos Christus habeat imitatores? meditari enim vitam Christi ac gesta piget, & imitari libeat?

Vt porro Spiritus ardorem, animam verè dixerim Ecclesiastici viri, foueret in se, nutriretque, tres pręcipuè libros indies fere voluẽdos proposuit, Scripturam Sacram, S. Bernardum, & Thomam de Kempis: totus in his erat: ducebat ex his principia, quibus vitæ sanctioris bases, Cosmophilorum institutis contrariæ niterentur; ex ijsdem fontibus rationes & motiua virtutum amplectendarum in areolas libellorum suorum velut riuos deriuabat: vnde vigor ille virorque germinaret in asceticis præceptionibus, tanto cum fructu, gustu, sensuque Lectorum, quotquot vitæ perfectioris studio delectantur.

Fouendi Spiritus ardorem.

Ita cum omnes muneris sui partes explere semper solicitè conaretur, & alios etiam ad amorem Dei suique instituti perfectionem inducere, *sal* fuit Dominicus,

Fuit sal.

cus, nõ infatuatus; sed excoctus, à prauorum affectuum spuma liber, & aptus ad putorem in alijs vitiorũ acrimonia monitionis corrigendum: tanquam *lux mundi* corporis simul & animi puritate candicans, errorum & ignorantiæ tenebras in alijs discutiebat, simulque verbis, scriptis & exemplis facem ad progressum in virtutibus præferebat.

Lux mundi.

Deniq; *quasi ciuitas supra montem posita*, segregatus à rerum terrenarum amore, & animo, cogitatis, & desiderijs semper in cœlestibus defixus, portis etiam sensuum vigili custodia contra tartareorum hostium insidias, & assultus clausis & firmis propugnaculis Dei timoris præmunitis, pij Sacerdotis & Sodalis Ecclesiastico-Mariani ideam sic adumbrauit, vt beneuolus lector in singulis ferè capitibus huius libri sit aliquid reperturus, quod possit imitari: nam ideo minutiora quædam, & ad vsum ac exercitationem quotidianam accommodata consectamur, vt virtutis studioso facilius occurrat, quod æmuletur.

Ciuitas supra mõtem posita.

Habent Sodales in huius vitæ lectione fru-

fructum hunc etiam præ ceteris, quod se quodammodo virtutis huius participes debeant existimare: solet enim id esse cōmune cuiuslibet sacræ Societatis emolumentum, quod operum bonorū satisfactio, & vis impetrandi cū alijs communicetur. Vnde cum Sodales Sodaliū suorum heroica facta legunt, suum quodammodo meminerint se thesaurum, cuius participes sunt, intueri. *Debent* ait S. Macarius *fratres in dilectione, & gaudio simul conuersari, & qui operatur de eo, qui preces fudit ita dicere; nempe particeps sum thesauri, quem comparat frater meus, quia communis est. Qui verò preces fundit, & de legente secum ita reputet: fructus, quem ille capit ex lectione lucrū meum est. Qui autem ministrat, ita cogitet, ministerium quod exhibet cedit in communem vtilitatem. Quemadmodum enim corporis membra cum multa sint, vnum sunt corpus, & se mutuo iuuant, & vnumquodq; proprio fungitur officio: verbi gratia, oculus pro vniuerso corpore videt, manus pro omnibus membris operatur, pes quocumque pergat, vniuersa membra circumfert, sic & fratres sibi inuicem cedant, & qui legit, orantem amore & gaudio complecti debet, secum hoc reputās,*

Sodales participes horum operum.

Hom. 3.

quia

quia pro me petatur. Hęc S. Macarius. Cuius rei gratia S. Anno Coloniensis Archiepiscopus primus in metropoli sua congregationem Ecclesiastico-Marianam inchoauit, vt veluti in multorum ignium coniunctione mentis ardorem facilius conseruarent, augerentque & alter alterius operum bonorum fructum participaret.

Quod si quis forte Iacobum aliquanto seueriorem morum Cleri Censorem in scriptis libris, vel nimis religiosum iudicet in tabulis testamentarijs, quibus se dispensatorem tantum facit bonorum Ecclesiasticorum, non Dominum, & omnia superflua pauperibus, nihil opulentis amicis censet esse relinquendum, velim S. Bernardi caput 7. euoluat: vbi sic contra degeneres Ecclesiæ ministros fulminat. *Indignus lacte & lana cōuincitur, si non pascit oues, si non vigilat in custodia gregis: iudicium sibi manducat, & vestit: væ væ tibi Clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in huiusmodi delicijs est, non modo, quia secus introitum delectationis posita esse dignoscitur; sed ob id maximè, quia populi constat esse peccata,*

c. 7. declamat. de vita & moribus Cleric. Clerici quomodo peccata populi comedant.

quæ

quæ comedis. Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas? cantando, vt aiunt, tibi prouenire videntur: sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare: peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderētur. Solicitus esto tanquam rationem redditurus pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitētiæ fructus. Alioquin ea noueris tibi imputanda, quæ modo inter delicias comedis, & paruipendis, & dissimulas, tanquam nihil attinentia tibi. O iudiciorum abyssus multa ô terribilis Deus in consilijs super filios hominum. *frustra tunc incipient miseri dicere montibus.* Cadite super nos, & collibus operite nos. *Venient, veniēt ante tribunal Christi, audietur populorum querela grauis, accusatio dura, quorum vixêre stipendijs non diluêre peccata. quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? quid diuitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? vniuersa siquidem vsque ad quadrantem nouissimum exigeris. Sed esto quis studiosè & fructuosè laboret, dignus est planè operarius mercede sua, vt qui altario seruit, de altario viuat: viuat inquam de altario, vt iuxta eundem Apostolum*

psal. 65.

Luc. 24.

Quā graue iudiciū ijs ideo immineat.

Etiā strenuè laborantibus.

ali-

Si reditus malè impendant. alimenta, & quibus tegatur habens, his contentus sit. tertium ei hoc periculum est, de altario viuat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur. nec contra Sancti cuiusdam planè dignã omni acceptatione sententiam ex Clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate vel superfluitate dispergat; non extollat de facultatibus ecclesiæ consanguineos suos aut neptes, nuptui tradat. *S. Hier. ad Nepot.* Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegij crimen esse dignoscitur. *Et sacrilegè.* Sanè patrimonia pauperum facultates ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non vtique Domini vel possessores vltra victum accipiunt & vestitum. Nec enim Deus ordinauit his, qui Euangelio seruiunt de Euangelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum; sed viuere ait Paulus ex eo, vt videlicet sint contenti alimenta corporis, non incitamenta gulæ, aut incentiua libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur accipere.


Hactenus S. Bernardus. Tam seuerum Iudicis tribunal, vt Iacobus euaderet, prouidè cum in vita, tum morte bonorũ superfluorũ heredes semper esse pauperes

voluit, faciens *amicos sibi de mammona iniquitatis*, vt cum vita deficeret, ab his *in æterna tabernacula* reciperetur, conciliato per hoc sibi iudice: nam *iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio, in æternum non commouebitur.* Luc. 16. Ps. 111.

Sed licet omnibus Sacerdotibus, curatoribus tamen animarum egregio præluxit exemplo, qua ratione cum vitæ etiam periculo teneantur oues pascere, solari ægros, morientibus adsistere: priuatis etiam colloquijs subditos suos debeant officij commonere; quod ipsis, his inculcat verbis S. Gregorius. *Et quia vna eademque exhortationis voce non sufficit simul cunctos admonere, debet singulos, in quantum valet, instruere, priuatis locutionibus ædificare, exhortatione simplici fructum in filiorum suorum cordibus quærere. Debemus namque pensare continuè, quod Sanctis Apostolis dicitur, & per Apostolos nobis* Vos estis sal terræ: *si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur qui Pastores estis, pensate, quia animalia Dei pascitis, de quibus profecto animalibus Deo per Psalmistā dicitur:* Animalia tua habitabūt Forma Pastorum. Ho. de cura Pastorali. Matt. 5.

Psal. 67. in ea. Et sæpe videmus, quod petra salis brutis animātibus anteponitur, vt ex eadem petra salis lābere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis: curare namq; Sacerdotē necesse est, quæ singulis dicat, vnumquemque qualiter moneat, vt quisquis Sacerdoti iūgitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore cōdiatur. Sal enim terræ non sumus, si corda audientium non condimus. Quod profecto condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Hucusque Gregorius: cuius Pastorale, cui per otium libebit percurrere, videbit Iacobum viuum exemplar præceptionibus S. Gregorij simillimum expressisse, quod cum ætate nostra Deus huic ciuitati singulari beneficio donauit, merito paulo diligentius est pertractandum adiectis industrijs & facillimis obuijs medijs, quibus conatus in omni vita sua est Sacerdotis & Curatoris animarum officio congruenter viuere: quas industrias, & piè viuendi modos aptissimos quisquis vsurparit, reipsa magnum in virtutibus progressum experietur.

AP-



APPROBATIO CENSORIS
Librorum Ordinarij.

SPeculum hoc, interiori homini ſalubriter componendo, magno cum fructu ab omnibus, cumprimis à Sacerdotibus Dei altiſsimi, identidem conſuletur; ideoque typis euulgari poterit. Coloniæ die 27. Martij. 1645.

HENR. FRANCKEN SIERSTORF.
S. Th. Doct.



IDEA PII SACERDOTIS, *Siue* VITÆ R. D. IACOBI MERLO HORSTII, PASTORIS in Pasculo B. V. Mariæ

CAPVT I.

Patria Iacobi, Parentes, & Puerilis Educatio.

FVit Iacobus Merlo patriâ Gelder, natus in Horst pago Diœcesis Ruremundanæ, patre Iacobo Merlero, matre Helenâ Mathen, fortunæ mediocris, colonis. Annus ei natalis à salute partâ septimus & nonagesimus post millesimum quingentesimum, dies 24. Iulij, postridie Translationis SS. Trium Regum, pridie S. Iacobi; hinc & nomen Iacobi tulit, & in omnem vitam cultui SS. trium Regum fuit deditissimus. Parentem ei maturè sors acerbior sustulit; quem ruri milites iniquæ voluntati

Patria. *Parentes.* *Natalis annus.* *Parentis mors.*

suæ obnitentem, crudelem in modum interemerunt. Ne tamen puer, cui diuina prouidentia maxima quæque dona destinabat, à teneris negligeretur, duos prouidit eius pueritiæ tutores, matrem in patria, auunculum Coloniæ, custodes peruigiles, ne gratiæ baptismalis faceret iacturam. Mater pia religiosaq; fœmina, tenero timorem Dei, vitiorum fugam & virtutis amorem cum lacte sensim instillauit. Rusticana fuit annis octo ferè primis habitatio & educatio, simplex autem, recta synceraque, vnde eximius ille candor animi, quem nulla vnquam postea fucaret fallacia, dolus aut fictio: corpus etiam laboribus assuetum obduruit à pueris ad diurnis nocturnas lucubrationes adiungendas. Iam tum nouum hunc Ieremiam sibi eligebat ex agro Deus, vt *euelleret, & destrueret, & disperderet, & dißiparet, & ædificaret, & plantaret.* Alium huic Colono destinabat agrum Coloniensem, tot Martyrum irrigatum sanguine, tam fœcundum germine Virginum & Confessorum fructibus vberrimis, vt ibidem cœlesti sparsa semente, totum terrarum orbem ascetico diuinoq; nutriret pabulo.

Materna educatio.

Ierem. 1.

Ele-

Elegit vt Dauid, seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam. Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. *Psal. 77.*

CAPVT II.

Octennis circa annum 1605. Coloniam ducitur, & ab auunculo materno piè educatur.

DEgebat Coloniæ Matris auunculus R. D. Ioannes Horstius, ætate prouecta Metropolitani templi Vicarius, vitæ morumq; integritate conspicuus, à pietate vero præcipuè commendatus, quem R. P. Franciscus Costerus olim Sodalibus Marianis adscripserat, sub huius vigilis & solliciti tutoris disciplina voluit Deus nõdum octennẽ puerũ adolescere, pręceptis imbui, formari moribus, vt animi puritas & innocentia, nulla labe grauiore, corpus vero nullo libidinis cõtagio pol ueretur. Ad hunc A. 1605. 28. Maij Iacobus ab agro cũ Elisęo ad Eliam nutricium suum venit, apud quẽ nihil hauriret oculis, aurib. aut alio quouis sensu perciperet, quod ingenuo pudori vel honestati morũ aduersaretur.

Auunculus Iacobi Coloniæ.

3. Reg. 19.

instituit eum moribus. Hic Sacerdos candidam, ſimplicem & innocentem nactus indolem, tum primùm doli capacem, cœpit ad verecundiam, pietatem in Deum, & amorem litterarum informare, primisq; tradere rudimentis, & elementis imbuendum triennio; cuius exemplum vitæ religioſiſſimæ cum puer indies contemplaretur, nullâ vagandi factâ licentiâ, mores ſuos cœpit ad omnem honeſtatem componere. Quo nutritio & parente, deinceps ad annum ætatis ferè 30. vſus eſt, vt virtus confirmata non poſſet facilè malorum exemplis vel conſilijs labefactari. Viciſſim Iacobus auunculo gratus omne præſtitit obſequium ætate iam decrepita, multis morbis & miſerijs obnoxia, donec annos natus 93. vitam hanc miſeram cum immortali feliciter A. 1629. commutauit. *Obitus auunculi* Tunc Iacobus velut Eliſæus duplici Eliæ ſui præceptoris imbutus ſpiritu, cœpit non tantum vt ante auunculi more, exemplo virtutis perfectæ; ſed & ſcriptis aſceticis magis celebrari, & velut tuba cœleſtis Dei laudes toto terrarum orbe reſonare.

* *
*

CA-

CAPVT III.

Vndecennis Humaniores Litteras in Gymnasio trium Coronarum apud Patres Societatis Iesu discit.

SOrtitus erat cum Salomone animam bonam, & ingenitam Sapientiæ cupiditatem, *quæ facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Agrum habebat mentis non prauarum cupiditatum lolijs obsitum, neq; vitiorum sentibus horridum; sed vomere seuerioris disciplinæ bene subactum; purum, mollem ad sementem sapientiæ recipiendam aptissimum, terram certè bonam, quæ fœnore perpetuo si non centesimas, certè sexagesimas duceret. Testem huius illius fructus & ardoris acquirendæ sapientiæ religiosissimum habeo Præceptorem eiusdem R.P. Adamum Casen Soc. Iesu nunc Studiorum Regentem, quo Magistro Iacobus vsus est quadriennio, dum politiori studeret litteraturæ, is velut in imagine sic eius mores & indolem repræsentat.

Sap. 6. Cupido sapientiæ.

[Fuit D. Iacobus, meus in Gymnasio trium

Testimonium Præceptoris.

trium Coronarum Societatis Iesu Coloniæ discipulus annis plus minus quatuor, nimirum ab A. 1608. vsq; ad annum 1612. in Grammaticis & Poëtica, quibus in scholis & annis quomodo se habuerit, probè memini, quando pueri vultus, habitus, mores & indoles animo meo velut præsentia nunc etiam obuersantur. Adolescentulus erat intra decimum quartum

Exterior cōpositio. quintumve ætatis annum, exterius ad omnem honestatem compositus, interius animo totus sedatus, in quo nil perturbationis omnino, nullus inordinatus motus, & quod de Tobia c. 1. legimus, *nihil puerile*

Gestus corporis. *in opere* appareret. E vultu, motu, gestuq; corporis & actione, modestia, verecundia, probitas & ingenuitas elucebat; nec tamen affectata vanè, vel aucupandæ gratiæ studio quæsita, sed ex optima indole promanans, & ingenita naturæ seriaque Auunculi viri Ecclesiastici educatione

Pietas. confirmata. Pietate erga Deum, Sanctosq; reuerentia, erga Præceptores obseruantia nulli secundus erat; labore ma-

Studium gis & studio diligentiaque, quàm ingenio, primos æquabat scholæ. Nihil in eo Professor, nihil discipuli desiderabant,

ne-

nedum culparet quiſpiam. Scio Iacobum in ſcholis offendiſſe neminem, ſæpius me recolo peroptaſſe ſimiles illi diſcipulos omnes; quamuis in tanta frequentia diuina bonitas non paucos excitarit, qui pari paſſu Iacobi virtutem aut æmularentur, aut etiam conſequerentur.

Vnum in eo præcipuum obſeruaui. Sic b ore Præceptoris pependiſſe, ſic velut apem argumentoſam libaſſe verba ſingula, collegiſſe ſedulò, vt quidquid ad litteras, eruditionem, diſciplinasq; capeſcendas idoneum, vel ad virtutem homine Chriſtiano dignam excolendam vtile produceretur in medium, id animo totũ cõplecteretur, & referret in Cõmentarios. Hinc iſta manaſſe videntur totius eruditionis, omnisq; litteraturę copioſa aduerſaria. Secutus hoc ipſo tempore Eccleſiaſtici monitum: *Ne defraudaris à die bono & ne particula boni doni te prætereat.*] Hactenus Magiſter eius. *Attentio ad dicta professoris* *Eccli. 44*

Eodem tempore nomen Angelicæ Sodalitati dedit, vt facilius cœleſtibus his tutoribus & præſidibus innocentia caſtitasque, quibus Angelis eſſe ſimilis deſidera- *Fit Sodalis Angelicus.*

derabat, maneret integra, cultor item Deiparæ Virginis & S. Vrſulæ præcipuus: inde profluxit ei conſuetudo quotidie ſub noctem conſcientiam diſcutiendi, quot hebdomadis maculas conſcientiæ eluendi, menſam Dominicam frequentandi, Deiparam Roſarij recitatione quotidie honorandi. Sic diuina naturalibus medijs adiungendo, capacem animum reddidit, ſapientiam complectendi.

CAPVT IV.

Anno 1612. transfertur ad Montanum Gymnaſium, & Philoſophiæ nauat operam.

PRogreſſum in humanioribus litteris nonnihil ſufflaminauit, vt ipſe ſibi perſuadebat, Scholæ Profeſſorumque mutatio: imò profuit: dum ſic alijs etiam virtutis & diligentiæ præluceret exemplo. Cauſas aperit Magiſter eius Adamus Caſen. [Adoleſcens Rhetoricam auſpicatus non ſua voluntate, ſed auunculi imperio è Gymnaſio Coronarum tranſijt ad Gymnaſium Montanorum, quod inter vrbis tria reliqua vetuſtiſſimum eſt, vt in eo Philoſophicis diſciplinis imbutus & Magiſtri titulo decoratus bonas litteras profite-

fiteretur, ſenſimq́; doctior, & ad obeunda munia Eccleſiaſtica prodiret inſtructior; ſimulq́; Svvolgianæ fūdationis beneficio frueretur.] hæc ille. Tenuit in eo loco ſolitum pietatis curſum, quem mirificè promouebat Gymnaſij Regens, Admodum R. D. Ioannes Gelenius, Collegij Apoſtolici Decanus, & poſtea Sereniſſimi Principis Electoris & Archiepiſcopi Vicarius in Spiritualibus generalis, vir vt doctrinâ præcipuus, ita pietatis fouendæ in Iuuentute ſibi credita ſtudioſiſſimus, lumen egregium Sodalitatis Eccleſiaſticæ Venerabilis Sacramenti apud Patres Societatis Ieſu; huius virtutes Iacobus vti quotidie ſuſpiciebat & mirabatur, ſic imitabatur ſollicitè: cui moriens idem lampada porrexiſſe videtur, & dictæ Sodalitatis amorem ingeneraſſe: nam Iacobo noſtro nemo poſtea in ea Sodalitate magis aſſiduus, eiusq́; præfecturam geſſit minimum quater. Exactis autem Philoſophiæ ſpatijs A. 1616. 22. Martij laureâ donatus eſt Magiſtrali. Vndeviginti natus annos, eiuſdem Regentis mandato videtur Iacobus Conuictoribus præfuiſſe; nam frater ipſius putat eum leges ijs tuliſſe,

Cauſæ mutati Gymnaſij.

Regentis Montani D. Gelenij encomia.

lisse, quæ manu eius exaratæ repertæ sunt cum hac inscriptione:

LEGES MVSÆI IN COLLEGIO Svvolgiano proposita.

Epist. 49 [Temporis iacturâ nulla grauior, atque eo magis indignor, inquit Seneca, aliquos ex hoc tẽpore (quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissimè fuerit) in superuacua maiorẽ partem erogare: scilicet ars longa est & vita breuis: vt ergo compendiosior eruditionis via sit, diligens temporis cura & custodia faciet, si nimirũ statis diei horis sua assignentur studia, & officia ea sedulitate peragenda, quasi à quolibet die, imò qualibet diei hora fructus aliquis profectusq; foret exigendus. Proderit itaq; infrascriptũ diei trãsigẽdę modũ obseruare.

1. Mane signo ab hebdomadario custode dato, nemo auroram Musis amicam inerti otio & torpore in plumis delitescẽs elabi patiatur, sed collectis quisque necessaria quiete viribus, stratum linquet, & ad Musæum properabit, ibidem preces Collegij piè & distinctè, vt par est, recitandæ, sic diei pariter ac studij auspicio, ab

ab inuocatione diuini Numinis facto ad sua quisq; studia seriò ac sedulò tractanda sese accingent, ea continuantes quoad vsque pulsu Gymnasij ad scholasticas lectiones conuocentur.

2. Finitis lectionibus, negotij si quid erit, paucis expediendum; ab his ad resumenda in Musæo studia transeundum. Atq; hic quidem quod reliquum est temporis antemeridiani, partim auditæ lectionis repetitioni, partim pomeridianæ seu sequentis lectionis tractationi impendendum. Idem finitis lectionibus pomeridianis obseruandum.

3. In ipso Musæo summoperè vitanda frequens discursio & excursio, nisi quam necessitas fecerit rationabilem. Ante omnia vero omnes inconditi clamores atque tumultus, nugę & inimicę gesticulationes, inanes verborũ strepitus & intempestiuæ fabulæ studiosè cauendæ: neque enim decet tempus silentij seu studijs destinatum turpiter & inutiliter perdere. Si forsan oborta de dubio quodam literario disceptatio, aut alia de studijs collatio, colloquium postulet, cauebitur, ne sermo alteri cuipiam studijs intento sit importunior.

4. Veſperi precibus horâ ſtatutâ recitatis cubitum, ſinguli ſe, qua par eſt ratione & honeſtate, component. Nocturnas lucubrationes, vtpote corpori & litteris inimicas, fugient. Quod ſi cuius forte ſtudendi cupiditas diurno labore non expleta, nocti & ſomno partem ſurripere ſuadeat, matutino id potius quàm veſpertino tempore faciendum; nam aurora Muſis amica.

His legibus diligenter omnes ſeſe conformabunt, tranſgreſſorum namque ſiue negligentia ſiue contumacia, aut pecuniariâ aut arbitrariâ Superiorum pœnâ mulctabitur. Verum Philoſophos decet non tam vi legum & formidine, quàm virtutis amore rectè facere. Hoc enim diſcrimen inter Philoſophum & Vulgus agnouit Ariſtippus, quòd Vulgus legum præſcripto arceatur, Philoſophus citra leges ſponte rectè faciat.]

Ex his liquet, quem ille modum ſtudendi ſeruarit eo tempore, quamq; temporis duxerit accuratam rationem; qua verò oratione præuiâ ſit vſus poſtremis etiam annis vitæ libet adijcere.

ORA-

ORATIO ANTE STVDIA.

O Iesu, Verbum & Sapientia Patris, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Illumina cor meum, vt sciam, velim & faciam quod acceptum coram te sit omni tempore. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meum inflammet, ad cognoscendum & amandum te Dominum meum in omnibus & super omnia.

ALIA BREVIOR.

Seruiat tibi, Domine Deus, quidquid ago, lego & scribo, omne quod cogito, dico & intelligo, à te incipiat, & in te omne opus meum finiatur.

Porrò imago, coram qua studere solitus est, fuit Christi patientis facies in sudario Veronicæ expressa.

CAPVT V.

Theologicis vacat studijs, deliberat de vitæ statu.

MAnsit in conuictu Montani Gymnasij ex fundatione Svvolgianâ

quinquennio ſequenti, dum Theologiæ ſimul & volutandis optimis quibuſque Scriptoribus aſſiduam nauaret operam. Nam mens eius à rerum creatarum amore ſegregata, cùm contemplando ſummo bono profundiùs immergeretur, & Angelici Doctoris (quem vitâ cumprimis exprimere geſtiebat, eius Bibliothecæ ſuæ præfixa imagine) fontibus potaretur auidiùs, cępit incredibili ſiti ſapientiæ diuinę ſic æſtuare, vt diurno ſtudio nocturnas adijceret interdum horas, vt alios etiam eiuſdem Doctoris Interpretes exhauriret.

Nocturna lucubrationes

Lectio SS. Patrum.

Cœpit eodem tempore SS. Patrum excutere monimenta, nec curſim delibare, ſed in Commentarios accuratè referre, nullum vt abſque fructu ſibi tempus elabi pateretur, vt ſapientiam (quam adamabat vnicè) ſibi fœdere ſociali maritaret, audire ſibi viſus identidem monitum Sapientis: *Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam. & ſicut theſauros effoderis eam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia.*

Prou. 22.

Næ

Næ ille plusquam auarus pecuniam & reconditos thesauros, plusquam ambitiosus dignitates, vel voluptuosus delitias, sapientiám diuinis humanisq; coniunctis medijs vbique noctes & dies inquirebat, eandem quasi thesauros reconditos in SS. Patrum & optimorum quorumuis Authorum libris eruebat, vt eius augendæ cupiditatem insatiabilem expleret, licet animi nimiâ contentione valetudo corporis interdum debilitaretur. Nec tamen iuuandi proximi negligebat studium, cùm cęteros conuictores & contubernales exemplo monitisq; formaret ad odium vitiorum, virtutis & literarum amorem, iisdem studendi, diemq; piè, studiosè, fructuosèque transigendi certas & statas ferret leges.

Vehemēs sapientiæ studium.

Eodem tempore cœpit animo versare vitæ statum, quem tãdem complecteretur, frequenter de sanctioris vitæ disciplinâ ineundâ, cum rerum humanarum contemptione cogitabat, & inter reliquos vitę religiosę status (vt fratri persæpe dixit) arridebat inprimis Societas Iesv, quam ingenio suo propensionique voluntatis consentaneam maximè iudicabat; sed vires corporis infirmæ reuocabant, & re

Delibe-rat de vitæ statu.

re maturiùs expensâ, sensit è re fore, si secularem Ecclesiasticum statum complexus, proximis verbo, scriptis & exemplo vitæ commodaret, quamuis extremis annis vitæ, conscientiæ arbitro nonnunquam fassus sit, si valetudo pateretur, optare se potius religiosum mori, sua tamen contentum sorte viuere; sed qui viuendi modum eius examinarit, aduertet, parum vel nihil à religiosa viuendi norma abfuisse, plusq; per leges ascetarum, saluis votis licuisse, quàm ipse sibi genio, vel corpori, rigidus sui ipsius censor indulgeret. Ita nihil vnquam pecuniarum in res inutiles, curiosas, superfluas vel delicatas erogabat, omnia necessitate corporis & valetudinis metiebatur, reliqua Bibliothecæ, pauperibus & pijs causis applicabat; vt ad rem domesticam iudicio fratris nimium quam par erat, attentus videretur, ne quid vnquam deesset ad egenos alendos, & templum exornandum. Iam tum minoribus Ordinibus initiatus, S. Hieronymi ad Nepotianum sententiam manu sua descriptam voluebat assiduè: [Clericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & no-

Modus eius viuẽdi religiosus.

S. Hiero. ad Nepot.

nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim Cleros Græcè, Latinè Sors appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de Sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est: qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino: qui ergo Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest: quod si quidquam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus, v.g. si aurum, si argentum, si variam supellectilem, si possessiones, cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignabitur.] His calcaribus se ad vitam Clerico dignam excitabat.

CAPVT VI.

Sacris Ordinibus & Sacerdotio ante legitimam ætatem initiatur A. 1621.

EXistimabat R. D. Ioannes Gelenius plurimum Iacobum profuturum proximis, si quam maturrimè Sacerdotio fungeretur: quæ vero causæ præcipuæ per-

permouerint, vt assentiretur, & præuiâ dispensatione citiùs ordinaretur, hactenus non comperi; tempus ipse consecrationis suæ his consignauit verbis: [Anno 1621. 6. Martij sum ordinatus in Sacerdotem à R^mo^ D. Ottone Episcopo Cyrenensi & Suffraganeo: 21. Martij celebraui primum meum Sacrum in Sacello S. Vrsulæ, vulgò Camera Aurea:] dedit hoc Patronæ suæ, quam honore præcipuo cum vndecim millibus Virginum venerabatur; dedit & animi demissioni, quippe qui quoad eius fieri posset, splendorem omnem externum & applausum declinabat, magis sollicitus, vt Deum eximiâ sibi pietate mentisq; feruore demereretur, quàm ab alijs videretur. Exinde ferè quotidie rem diuinam, nisi morbo præpediretur, factitabat; nec etiam cùm iter faceret, & impedimenta non leuia moram inferrent, deduci se à piâ consuetudine patiebatur: præmittebat quinos Ecclesiæ Psalmos consuetos, & pias è Thomâ de Kempis & alijs depromptas preces, quas postremis annis è paradiso suo petebat: mirificè verò pietate suâ præsentes ad orandi studium & religionem ex-

In S. Vrsula celebrat primitias.

Quotidie Sacrum legit.

Præparatio ad id.

excitabat, quod vberiùs varijs operibus præſtitit, præcipuè in Aphoriſmis, Paradiſo & induſtrijs piè celebrandi ſeorſim editis, vt hiſce facibus languorem Sacerdotum ætatis noſtræ & tepiditatem inflammaret. Vt verò ſe quotidie Sacerdotalis officij commoneret, Breuiario duas has præſcripſit ſententias, primam S. Gregorij in Paſtorali: [Nemo in Eccleſia ampliùs nocet, quàm qui peruersè agens nomen vel ordinem ſanctitatis vel Sacerdotis habet: delinquentem namque redarguere nullus præſumit, & in exemplum valde culpa extenditur, quando pro reuerentia Ordinis peccator honoratur.] Adiecit & iſtam S. Hieronymi in Ezech. l. 2. [Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina, ſi pereant: lætamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum: non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimibus corruiſſe: nec enim ſolùm pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium quorum abutimur, & nequaquam ſumus de eorum ſalute ſolliciti.] Adſcripſit Hymnum ex S. Auguſtino.

S Gregor. in Paſtor.

Hiero. in Ezech. l 2

HY-

HYMNVS S. AVGVSTINI de dignitate & vita Sacerdotum.

VIri venerabiles Sacerdotes Dei,
Præcones altißimi, lucernæ diei,
Charitatis radio fulgentes & spei,
Auribus percipite verba oris mei.
Vos in Sanctuario Dei deseruitis,
Vos vocauit palmites Christus vera vitis.
Cauete ne steriles aut inanes sitis,
Si cum vero stipite viuere velitis.
Vos estis Catholicæ legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ouium pastores,
Muri domus Israël, morum correctores,
Iudices Ecclesiæ, Gentium Doctores.
Si cadat protectio legis, lex labetur,
Si sal euanuerit, in quo salietur?
Nisi lux appareat, via nescietur,
Nec si Pastor vigilet, ouile frangetur.
Vos cœpistis vineam Domini procurare,
Quam doctrinæ riuulis debetis rigare,
Spinas atque tribulos procul extirpare,
Vt radices fidei poßint germinare.
Vos estis in area boues triturantes,
Prudenter à palea granum separantes,
Vos habent pro speculo legem ignorantes
Laici, qui fragiles sunt & inconstantes.

Quid-

Quidquid vident Laici vobis displicere,
Dicunt procul dubio sibi non licere:
Quidquid vos in opere vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpâ carere.
Cùm Pastores ouium sitis constituti,
Non estote desides, sicut canes muti:
Vobis non deficient latratus acuti,
Lupus rapax inuidet ouium saluti.

Addamus Praxim ipsam celebrandi, quam seruare solitus postea typis seorsim excusam etiam communicaturis accommodauit.

PRAXIS BREVISSIMA
piè Celebrandi & Communicandi,
pro Sacerdotibus & Laicis:

Tum ante, tum post Missam & Commun. vtilis.

Obserua hîc Actus præcipuarum virtutum.

Adorationis & Grat. Act.

O Dulcissime Saluator, Christe IESV, qui ex nimia charitate nos miserè perditos redemisti pretio Sanguinis tui: Et

Et in huius Amoris tui memoriam, necnon in pignus futuræ gloriæ, tam admirabili Potentia, Sapientia & Bonitate dedisti nobis in cibum & potum ipſum Corpus & Sanguinem tuum: Denique ad hæc diuina Myſteria, me viliſſimum peccatorem in numerum tuorum [*Sacerdotum*] Seruorum tua ineffabili clementia vocare dignatus es.

Adoro te ex toto corde, & gratias tibi ago ex intimis viſceribus animæ meæ, pro tam immenſis beneficijs tuis; & affectus omnium Electorum tuorum mihi medullitus opto, vt placere tibi poſſim in hoc opere, quod facturus ſum. *(vel iam feci.)*

Contritionis.

Sed heu me miſerum, qui hactenus tam indignè vocatione mea vixi, & toties, & tam grauiter te DEVM meum offendi peccatis meis (præſertim his N. . .) Sed nunc de ijs *Doleo* ex intimo corde meo, ob Amorem tui ſuper omnia: & deinceps Tibi ſoli ſeruire, placere, & adhærere propono.

Puræ Intentionis.

Proindeq; nunc accedens ad Menſam Con-

Conuiuij tui, ex omni affectu cordis mei Tibi [*hoc Sacrificium, Missæ*] dignissimam hostiam Corporis & Sanguinis tui, quam tu ipse semel pro nobis in Ara Crucis obtulisti; *offero* ad laudem & gloriam æternæ Maiestatis tuæ: In memoriam sacratissimæ Incarnationis, Vitæ, Passionis ac Mortis tuæ.

In gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficijs, toti cœtui Electorum, & mihi indignissimo peccatori hucusque præstitis: vel vnquam præstandis.

Pro salute quoque Fidelium Viuorum N... Et solatio Defunctorum N...

Et vtinam ex omni affectu, feruore & desiderio Amicorum tuorum, seu iam regnantium in cęlis, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande tuæ pietatis opus peragere possem. (*vel potuissem.*)

Fidei.

Corde siquidem *Credo*, mi Iesv, & ore confiteor, quia Pater æternus, Devs seipso summè beatus, potens, perfectus, & nullius egens, secundum infinitam misericordiam suam sic dilexit Mundum, vt Te Filium suum Vnigenitum nobis daret Saluatorem. Cre-

Credo quoque, quod Tu ipſe Patri æqualis per omnia, ex vi immenſæ charitatis tuæ de ſinu Patris deſcendiſti in vterum Virginis, & propter nos homines HOMO FACTVS ES. Et quod ex amore noſtri hoc Sacramentum in vltima Cœna inſtituens, verum Corpus & Sanguinem tuum, id eſt, Teipſum nobis ad manducandum dediſti. Et denique Patri tuo factus obediens vſque ad mortem, Temetipſum pro nobis Hoſtiam in Ara Crucis obtuliſti.

Spei.

Ideoq; *Spero* in te, magna fiducia venio ad te, ô Domine, qui noſtri cauſſa tam mira facere; & tam dira pati voluiſti. Quid enim negabis, qui ſic amaſti, vt teipſum dares?

Amoris.

Amo Te quoque, ô bone IESV, ex tota virtute cordis mei, & ſemper deinceps, & in æternum amabo, ſi tu dederis.

Oblationis & Reſignationis ſui.

Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, & pro omnibus, quæ retribuiſti mihi? Ecce, me ipſum totum, Cor-

pus,

pus, Animam, & omnia offero in omne beneplacitum benignissimæ vountatis tuæ.

Humilitatis, & Vnionis cum meritis Christi.

Verùm quid habeo, quod non acceperim? Quid vilis creatura, vermis terræ, miser peccator, pauper & seruus inutilis præstare poterit Deo, Creatori ac Domino suo? Tu ipse potiùs, ô Domine, vtpote Aduocatus & Mediator meus, diues in meritis & miserationibus, suscipe caussam meam.

Et ex thesauro immensę charitatis tuæ fer opem inopiæ meæ: & pretium Sanguinis tui, omniumque meritorum tuorum repræsenta æterno Patri tuo; & hinc supple omnem defectum meum, præcipuè huius meæ, heu, nimis modicæ & imperfectæ præparationis, qua ad hæc SS. mysteria venio, vt sic Ei per Te placeat obsequium indignissimæ seruitutis meæ.

Postulationis.

Fac etiam, ô Bone Iesv, per omnes miserationes tuas, vt hoc tremendum Mysterium & admirabile donum charitatis tuæ, debitâ semper Fide, Reuerentiâ &

Gratitudine prosequar: idq; puro & ardenti corde nunc & semper recipiam. Statum hunc quoque meum N. ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, Charitate, Castitate, Humilitate, Mansuetudine, Patientia, Sobrietate, &c. Moribusq; tibi placitis, & [*Sacerdote*] fideli seruo tuo dignis excolere studeam. Idq; vt seruitus mea magis tibi placeat: Ad maiorem gloriam tuam, Ecclesiæ vtilitatem, & propriam proximiq; salutem.

Abnegationis sui & Vnionis cum Deo.

Vnde tandem supplex rogo, vt per virtutem Corporis & Sanguinis tui, abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxijs affectibus N... qui gustum ac fructum huius Sacramenti impediunt, & intimè tibi vnias & incorpores, vt gustem quàm suauis sis, Domine, & vnus tecum efficiar spiritus: vt tu in me, & ego in te maneam, adeoq; nihil sit, quod me vnquam separare valeat à te. Nam tibi adhærere mihi bonum est, &c. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? ô pars mea Deus in æternum!

CAPVT VII.

A.1622. in Sereniſsimi Rmiq; Principis Lotharingiæ & Decani familiam adſciſcitur.

DEcennium ferè compleuerat intra Montani Gymnaſij ſepta, nec poterat iſtis anguſtijs lucis iſtius fulgor occultari, quin latiùs radijs ſparſis vrbem illuſtraret. Nobilis viri Gabrielis de Roy indicio ſplendor iſte vitæ integritatis Serenmo & Rmo Decano Metropolitano Principi Lotharingiæ Franciſco Epiſcopo Virdunenſi ſic probatus eſt, vt in familiam ſuam cooptarit Iacobum à Sacris ſibi futurum. Itaque ſub initium anni 1622 Contubernio Montano deſerto conceſſit in Aulam, quam virtutis perfectæ claritate mirificè illuſtrauit, eamque breui famam collegit & exiſtimationem, vt ea licet ætate iam aptiſſimus ad ampliſſima munia ſuſtinenda iudicaretur; ſic etiam virtutem Iacobi Princeps prudentiſſimus ſuſpexit & adamauit, vt ad extremos vſq; vitæ dies ſummis eundem in amoribus habuerit: nam morbi tempore quotidie deſtinauit ex aula certos, qui morbi ſiue incre-

Amor Seren. Principis in Iacobum.

in morbo.

incrementa, siue decreměta referrent accuratè, cibos exquisitissimos quosq; submisit, pharmaca suppeditauit: quin & raro præcipui amoris in virum argumento manibus ipse suis nonnulla præparauit ad morbi vim infringendam, & vires corporis prostratas erigendas & confirmandas. Interim pudore virgineo suffundebatur æger, immerenti tam eximia singularis amoris indicia à tanto Principe exhiberi. Nec tamen in aula diu morari potuit, quem Deus ad curam animarum destinabat.

CAPVT VIII.

Anno 1623. *Parœciæ D.V. in Pasculo præficitur.*

DEcessit anno 1623. 12. Februarij R.D. Petrus Spicherus Pastor in Pasculo, Collatio penes Decanum Metropolitanum erat, multi candidati beneficij Iacobum ætate superabant, virtutis cumulatâ famâ, morumq; maturitate nemo, quam Sereniss. Princeps Franciscus per annum exploratissimam habebat, vt præter multorum opinionem, cum vix vicesimum quintum ætatis annum expleuisset, cum

di-

dignissimum existimarit, cui curam Pastoralem eam crederet, qua se totumque Capitulum Metropolitanum, familias item Canonicorum, & eorum quotquot beneficijs templi fruuntur, præter ciuicas alias domus subijceret. Adijt 22. Martij possessionem, & eâ diligentiâ munus obire cœpit, vt cùm omnium superaret exspectationem, hanc ex ore Principis sæpe vocem expresserit, neutiquam se pœnitere, quòd D. Iacobum ætate iuuenem tanto muneri præfecisset. Qui sicut initio cùm Musas à limine salutauit, ideam absolutissimi studiosi & Philo-musi, postea Sacerdotis religiosissimi, sic iam exemplar Curatoris animarum vigilantissimi studuit exhibere, & omnes partes huius officij humeris etiam Angelicis formidandi peruestigare, complecti animo, & reipsa semper exsequi, vtq; faciliùs gregem Domini pasceret oratione & verbo, secutus exemplum Pastoris Pastorum & Episcopi animarum nostrarum Christi, *cœpit priùs facere, quàm docere.*

* * *

CAPVT IX.

Insignis animi demißio.

IAcobus altum moliturus vitę sanctioris ædificium, profundum iecit humilitatis fundamentum. Vnde sicut postea SEPTEM TVBIS suis orbi Christiano vulgatis, oneris Pastoralis magnitudinem, obligationem & officia publicauit eo consilio, vt hoc velut Classico Clerus & animarum Curatores excitati ad bellum luxui, ambitioni, auaritiæ, otio desidiaq; velut capitalibus hostibus indicerent, vocationis & officij neglectum corrigerent, sacrorum contemptum & amorem sæculi velut pestes detestarentur; sic primus ipse sibi bellum denunciauit domesticum & assiduum, ac mentem sui cognitione depressit, de se viliter & submisse solitus sentire & loqui, iactantiam in verbis, in bene laudabiliterque factis ostentationem fugere, vt nullus apud eum assentationi, nullus vanæ laudi & plausui populari locus esset; ideo suspectos habebat amicos, si laudarent immodicè libros, quos typis vulgauerat, cùm illos ipse, quibus posset modis, depressum iret, sanè pau-

Vide Procemiū libri 7. tubarū.

se deprimit.

fugit laudes.

cis

cis ante mortem mensibus ita cuidam è Societate Iesu Patri scripsit inter cætera: [Sed tamen suspendit me, an dicam offendit, benignior illa & propensior censura, quam de me meisq; quisquilijs ferri video; luculentum quidem indicium perhumani & facilis animi tam beneuolè res amicorum æstimantis; sed suspecta ferè sunt aut esse debent amicorum iudicia, vtpote quæ non tam veritas, quàm affectus format, sincerius & securius critiriũ, quod à parrhisia manat, quæ scilicet nec in amicis næuos & vitia dissimulet, quin notas obseruat, monet & corrigit, imò etiam reprehẽdit. Faciet id quidem etiam momus aut Aristarchus aliquis, sed amicos ab his facilè dispar affectus discernit. In meis quidem minutijs & nugis, quid est quod tãti æstimari debeat? Mihi quidem adeo non probantur pleraque, vt velim abolita. PARADISVS placueritne, nescio; mihi certè adeo non placuit amplius, vt noua editio nouum pene totum & alium propediẽ datura sit] Pergit deinde reliqua & Cõmentationẽ in S. BERNARDVM pari modo deprimere, more viris sanctissimis vsitato, qui mentis aciem à suis egregijs

Amor corripit.

& heroicis factis auertebant, ad lapsus, neuos & errores conuertebant assiduè, quo sibi ipsis vilescerent, & ab alijs reprehendi, corrigi contemniq; desiderarent, id alibi pharmacum contra tumorem præscribit. [Nosce teipsum, ô homo, quia ex cognitione sui vilescit sibi homo, vt ex ignorantia sui intumescit; quid superbis, cuius conceptio culpa, nasci pœna, viuere miseria, & mori tormentum est? Vnde ergo superbis, homo? ob gratiæ dona, naturæ vel fortunę bona? vel ob ingenium, scientiam, aut alias corporis vel animi dotes, quibus te putas excellere? sed quid ex his omnibus tuum est? nonne hæc omnia ab Authore Deo & bonorum omnium fonte prodierunt? Aliena sunt isthæc omnia tibi credita tantum & paulisper commodata, in Authoris gloriam & salutis tuæ commodum; sed in dedecus & damnationis cumulum cessura, nisi bene expenderis.]

* *
*

CA-

CAPVT X.

Voto speciali cupiditatem plurium beneficiorum & ambitionem dignitatis sibi præscindit.

RAdix malorum, cupiditas, qua semel humanæ menti firmiter insitâ, necesse est vitiorum omnium virulentos fructus pullulare: solet enim è cupiditate nata opum affluentia, luxum, fastum, intemperantiam, libidinem & quasuis pestes exitiales Clericis generare, præsertim quos semel hydrops insatiabilis plurium beneficiorum infecerit: Vnde tam seuerè Concil. Trident. damnat eam cupiditatem, statuitque: [vt inposterum vnum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre.] Habebat Iacobus Parochiale pertenue beneficium, eiq; Vicariam adnexam, satis id sibi rebatur esse, non solùm ad vitam suam, sed & pauperum aliorum alendam & bibliothe-

Sess. 24. c. 14.

Vno contentus beneficio.

cam instruendam, dũmodo permagnum rei familiaris vectigal parsimoniam adhiberet. Vnde quanto quidam ambitiosiùs opima Sacerdotia, Principum gratiam, officia perhonorifica, dignitatesq́; venantur, & prô dolor nundinantur, tanto ipse studiosiùs oblata nec petenti, refugiebat; vt graue nõnunquam ipsi certamen cum viris Principibus fuerit, de sponte delato fauore promotioneq́; honestè declinanda, ne tantorum Virorum gratiam auersari videretur. Sed quo magis ab alijs ad officia speciosa sollicitabatur, vt radicitus eorum obtinendorum sibi spem præscinderet, morem Patrum Professorum Societatis Iesu imitatus, hoc se speciali voto Deo obligauit.

declinat plura.

& fauorẽ Principũ.

VOTVM DE NON ACCEPTANDO VLLO ALTIORI GRADU & DIGNITATE.

EGo Iacobus Merlo Horstius, B. V. Mariæ in Pasculo Pastor, bene deliberata mente promitto & voueo Deo Omnipotenti, coram Beatissima Dei Matre Patrona mea, S. Angelo Custode, cæterisq́; Patronis meis & Cœlitibus omnibus, velut testibus, quòd non velim aut cupiam vnquam ad statum, gradum, dignitatem,

tatem, &c. vllam altiorem, pinguiorem, commodiorem adspirare, neque verbo vllo, scripto aut obsequio per me vel per alios cuiusquam gratiam, fauorem aut opem captare, quo altiùs promoueri queam; sed velim & optem multò magis sorte mea (cui vtinam dignè respondeam) contentus viuere, donec Deus & Superiores, quibus obedientiam debeo, aliud de me statuant. Ita factum Coloniæ, Anno 1631. ipso S. Francisci, cuius exemplo vtinam detur mihi terrena despicere, & amare ac quærere cœlestia. Amen.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.

Hæc superiùs posita, repeto, ratifico, confirmo, Anno 1642. ipso S. Augustini Episcopi

EGO IACOBVS MERLO-HORSTIVS.

Sed vt opum contemptâ affluentiâ spem in Dei prouidentia fixam teneret, nihil Deo strenuè militanti rerum necessariarum defuturum, ob oculos quotidie ponebat has Breuiario insertas sententias: *Iacta super Dominũ curã tuã, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Psal. 54.

Psal. 26. *Exspecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram, melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius.* Et illud S. Cypriani: *Cùm Dei sint omnia, possidenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Orabat etiam cum Salomone: *Duo rogabo te, Domine Deus & Pater meus, ne deneges mihi, antequam moriar: Vanitatem & verba mendacij longè fac à me, mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: Tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus alliciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus periurem nomen Dei mei.* His se precibus & expensis animo sententijs ad contemptum diuitiarum excitabat indies ferè, dum Breuiarij librum volueret. Vnde qui tantopere abhorrebat à pluribus beneficijs, cùm sui similes caperet omnes de Clero, libera voce calamoq; sic detonuit in Sacerdotes opum cupidos: [Quid ergo, ô diuites, (si tamen diuites) nunquam præsentibus saturi semper ad plus & amplius auri sacra fame stimulante respicitis? Quorsum coniungitis domum ad domũ, & a-

S. Cypr. de ora. Dom.

Prou. 30.

c. 13. monit. sap.

& agrum agro copulatis? Verùm magis prodigiosum est, si opes auidè congerant qui electi in sortem Domini statum profitentur, cuius decor & integritas opum contemptu & cœlestium præcipuè bonorum desiderio constat. Vt quid ergo pauperis Christi patrimonium tam violenter inuaditis, tam infideliter tractatis, tam indignè consumitis? ignominia ordinis vestri est, proprijs studere diuitijs, nec bene conueniunt militare Deo, & dignis seculo curis implicari. Quando peius habuit Ecclesia, quàm cùm illius Ministri cœperunt contemptis aut malè contortis tot Canonum & Conciliorum decretis, beneficia beneficijs, curas curis superaddere, & multorum alimenta ad luxus & vanitatis suæ fomenta conuertere, Deo ingrati, Ecclesiæ iniurij, proximis inutiles, pauperibus & miseris immites, sibimetipsis perniciosi. Si vllos hominum, Vos certè hæc verba spectant: *Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti simus.* Superest aliquid? en pauperes vos velut Patres & Oeconomos inclamant. Quid ergo attinet aut noxias aut alienas condere diuitias? quorsum multa possidere

beneficia, quæ viam sternunt ad multa supplicia? Vereor hoc multos tunc primùm sapere, cùm frustra est pœnitere.]

Succisa iam radice cupiditatis & ambitionis, non defuere frequentes occasiones voti periclitandi; reliquis omissis breuitatis studio duas adijciam. Vocatus ab Imperij Principe sapientissimo & Iacobi euehendi studiosissimo, cùm is vltro nec rogãti, gratiam & fauorem, ad altiorem lautioremq; conditionem obtulisset, Iacobus ei gratias agere, modis nescio quibus excusare se, & affirmatè dicere nihil amplius in votis habere se. Interrogatus verò quidnam haberet ergo, quãti prouentus essent annui? sufficere respondit eos parsimoniæ suæ, nec quicquam desiderare amplius, sua se tenuitate contentũ viuere. Princeps exinde magis virtutem viri mirari cœpit, qui ea, quæ cæteri tam ambitiosè venantur, tam modestè recusaret, & comiter à se dimisit.

Renuit oblatam à Principe promotionem.

Aliàs Bonnam profectus in templo FF. Minorum vacabat orationi, fortè Ser^mus Princeps Elector aderat, & obseruatâ Iacobi præsentiâ, cùm ephebum ad se

accer-

accerferet, idq; notaret Iacobus, in metu fuit, ne in aulam inuitaretur, ideo clam fubduxit è templo fe, ne fimili velitatione votum factum periclitaretur. Conftat enim Ser^mum^ Principem Electorem de eo Decano Bonnæ conftituendo nonnunquam agitaffe confilia, vt locum Archiepifcopalis refidentiæ, virtutum fuarum fplendore colluftraret, & vt nihil hic etiam fimile fuiffet formidandum in votis integrè feruandis, ipfe tuta etiam metuebat.

CAPVT XI.

Afflictatio corporis & abftinentia.

VT animam fortitus erat bonam, ita corpus debilius & ob indefeffos ftudiorum labores & voluntarias caftigationes variorum morborum cruciatib. fractum & extenuatum, quamuis bene femper erat animo, quoties ęgrè corpori; hoc domabat cilicijs, quæ duas tresve hebdomadas, & vt quidam ait, totam Quadragefimam geftabat; adeoq; extremo quadragenarij ieiunij tempore fecundo morbi die coactus eft exuere, cùm aliàs ne nocturno quidem tempore deponeret.

Corpus imbecillũ

domat cilicijs.

Ver-

Verberib. Verberabat se nodosis funiculis sæpius, ieiunijs imo quotidianâ ferè se cruciabat inediâ: nam cùm Drexelij libellum de abstinentia voluisset, pluribus annis cœnare tantum voluit, meridie modico contentus iusculo. Vt tegeret hanc temperantiam, valetudinis & studiorum obtendebat curam: nam quod vsu venit S. Carolo Borromæo, vt ieiunio diuturniore corporis humores consumerentur, conducere dicebat naturæ suæ catarrhis obnoxiæ, cibiq; digestionem, quæ post meridiem corrumpit trium horarum intensum studium, commodiùs in nocturnam quietem reijci. Sed cùm ventriculus exinde nimiùm debilitaretur, vt ægrè cibos conficeret, caput verò repleretur humoribus, membra catarrhis affligerentur, tussi vox exasperaretur, non ante tamen à SS. Bernardi & Caroli abstinentia sequenda deduci potuit, quàm à Confessario monitus (proposito S. Bernardi exemplo suum eadem in re cum valetudinis iactura nimium culpantis impetum & ardorem) correxit diætam, prandendi resumpsit morem, nocturnas contraxit vigilias, tunc enim stomachi redire vires, ex-

quotidianâ inediâ.

Cum læsione valetudinis.

excitari ciborum appetentia, remittere tussis: nec tamen alias affligandi sui prætermisit rationes, quas ad consilium arbitri conscientiæ temperauit.

CAPVT XII.

Quotidiana piè viuendi ratio.

ASceticis S. Ignatij commentationibus subinde feruorem spiritûs languentem excitabat, inde mentem persępe sacris meditationibus pascebat, è quibus fructum semper aliquem & pia colligebat proposita diurnas actiones quàm perfectissimè obeundi, Thomam Sanchez imitatus, cuius in vita moralibus eius operibus præfixa similia legerat documenta. Excerpam ea, quæ sibi quotidie præscripserat diligenter obseruanda.

Proposita & Regulæ quotidianæ.

[1. Nullum diem sine lectione sacra, id est, Scripturæ aut alterius libri spiritualis, maximè Thomæ de Kempis, prætermittam; sed temporis aliquantulum, idq; commodissimum huic officio, deputabo. *Lectio libri pij.*

2. Tem-

Matutinæ preces. 2. Tempore matutino, tempore debito sine mora surgam è strato, maximè aduertam, vt euigilans mox animum vertam ad Deum, & primitias cogitationum Deo offeram, & actis breuiter gratijs omnia eius diei opera ad Dei Omnipotentis honorem offeram, gratiamq; ad id necessariam efflagitabo.

Operis cuiuslibet intentio. 3. Hoc quoq; per diem in omnibus functionibus, negotijs rebusq; omnib. cautè & diligenter aduertam, vt ad cuiusuis actionis initium mētem in Deum eleuem, & intentionem primi operis ad Dei honorem & maiorem gloriam dirigam, rogemq; eam acceptari in vnione operum & meritorum Christi Iesu. *& vnio cū operib⁹ Christi*

Modestia in Choro. 4. In locis sacris piê, religiosè, & ad proximi ædificationem vtiliter me geram, à fabulis omnibus abstinebo, sola solius pietatis & orationis mihi cura ibidem erit, alijs omnibus ab Ecclesia in locum alium ac tempus aliud relegatis.

Maturitas in congressu. 5. In conuersatione aliorum & colloquijs maturitatis cura mihi singularis erit, conaborq; loqui breuiter, grauiter, comiter, vtiliter, de rebus maximè honorem aut famam proximi concernentibus parcissimè

cissimè & cautissimè loquar, verba inutilia, otiosa, non satis honesta, aut aliquam turpis rei memoriam ingerere apta, diligentissimè cauebo.

6. Ante preces & maximè ante diuinum officium seu publicè seu priuatè legendũ, semper conabor instituta aliqua mentis collectione animum ad pietatem & deuotionem preparare, cogitans breuiter opus hoc esse vocationi & functioni proprium, ideoq; diligẽter fideliterq; exequendum, vt Deo placeat, & proximis prosit. *Oratio præparatoria.*

CAPVT XIII.

Castitatis inuiolatè seruandæ studium, & fuga mulierum.

AVreolam Virginitatis incorruptam seruare cũ Dei gratia sollicitè laborauit à teneris, gnarus quòd *incorruptio proximum facit Deo*, redditq; mortales similes cœlitibus, imò terrestres quosdam Angelos efficit, mentemque præparat & accommodat ad diuinæ sapientiæ dona copiosiùs recipienda. Ideo sanctissimam DEI Genitricem MARIAM, S. Vrsulam, S. Custodem Angelum, Præsides *Media castitatis cõseruãda* tuto-

tutoresque castitatis inuocabat assiduè, quotidie rem diuinam factitabat, hauriebatque *Vinum germinans Virgines*. Sensus etiam suos arctâ custodiâ sepiebat, ne qua hosti pateret rimula, carnem ieiunijs emaciabat, affligebatque verberibus, vt multo tempore quandoque cum S. Thoma Aquinate expers cogitationis vel commotionis inhonestæ videretur, accedebat otij fuga, continuus studiorum labor & mentis in Deum defixio, quæ non sinebat animum vagari distrahiq; vanâ vel otiosâ, taceo turpiore cogitatione. Mulierum verò familiaritatem quàm cautè declinarit, verbis satis nequit explicari: multis annis ideo familiam domi non aluit, sed coctos & paratos è domo vicina cibos accipere solitus est, ne mulierem admittere cogeretur. Ac licet postremis annis sororem domum receperit, nunquam tamen vel ipsam vel aliam sequioris sexûs intra limen cubiculi pedem inferre passus est; imò ne vel obiter à longè inspicere sustinebat, tapete ostio præfixo, demissoq; priùs, quàm id reseraret; solus extremus morbus extorsit licentiam sorori permittendi ingressum,

Osor mulierum.

ſum, vt eius operâ neceſſarijs in rebus v-teretur. Sed licet importunè quædam Matronæ, quibus à Confeſſionibus fue-rat, idipſum flagitarent, conſtanter o-mnibus negauit, & oſtio præfigendam i-licò curauit hanc epigraphen : *Mulierum pedes foras ſunto*. Sacerdoti quoque, quem muneris ſui Vicarium deſignarat, in mandatis dedit, omnes vt inde procul ar-ceret (extra ſororem) fœminas, & qui-buſcunque poſſet modis, honeſtè dimit-teret, quamdiu ſenſuum & mentis com-pos eſſe notaretur, quamuis vbi demum extremus agon vim ſentiendi ſuſtuliſſet, orandi gratiâ viros & fœminas non tan-tùm intromitteret, ſed & inuitaret. Hac tam vigili cuſtodiâ iam inde ab ineunte ætate virginitatem ſeruauit integram & inuiolatam, vt ipſe quadam in clauſula tabularum teſtamentariarum anno 1639. 25. Iulij confectarum, ſcriptum reliquit his verbis: [Capulo ſeu tumbæ nulla im-ponantur ſerta vel corollæ. Si inſigne re-quiritur Virginitatis, (quam hactenus per Dei ſolius gratiam ſeruaui integram, & per eandem, vti ſpero, in diem mortis illibatam DEO Crearori meo offeram)

acci-

in morbo.

Caſtitatẽ ſeruauit inuiolatã

accipiatur pannus albus, id eſt, nullo tinctus colore, ſed candidus & niueus, isq́ue ſatis laxus, vt inſterni poſſit capulus. Permitto tamen 16. ad ſummum ſerta imponi per modum crucis, id eſt, decem pro linea recta, ſex pro tranſuerſa.] Sed ne vanè gloriari de ea virtute videretur, vltimis tabulis cauſam candidi operimenti tumbæ prætermiſit; conſtat verò poſtremis annis vitæ magnũ ad tẽporis illius perfectionem cumulum virtutum adieciſſe, ac indies magis magisq; fuiſſe ſollicitum, ne tanti theſauri nimia ſui pręſidentia (quod etiam ſanctiſſimis viris nouerat eueniſſe) naufragium in portu faceret.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

CAPVT XIV.

Puritas mentis & horariæ adſpirationes.

NEc minùs mentis puritatem, quàm corporis integritatem ſectabatur, ſollicitus non tantùm vt grauiora, ſed vt ne leuiora quidem ſciens prudẽs patraret errata. Non inanis eſt præſumptio, eum innocentiam conſeruaſſe ſaluâ baptiſmali gratiâ, nec eam per lethale peccatum deperditam, multum ad næuos etiam leuio-

res

res cauendos non tantùm ei vespertinum examen conscientiæ, sed horaria recensio factorum contulit, pro qua feruidas selegit ad Christum adspirationes.

ADSPIRATIO HORARIA AD IESVM.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.

Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitē in domo Domini omnibus dieb. vitæ meæ.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

ALIA.

O bone Iesu, propitius esto mihi peccatori; Amo te, & doleo ex toto corde, quia offendi te, qui pro me dignatus es in cruce mori.

O Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe.

O Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna hac hora illumina, custodi, rege, guberna.

Vt se ipse confunderet, languentem excitaret, & ne de innocentia (si eam conseruasset) vanè præsumeret, in Breuiario circumferebat eam S. Gregorij sententiam: [Fit plerumque gratior DEO amore ardens vita post culpam, quàm in securitate torpens innocentia.] Oraturus etiam, vt puritatis animi memor esset, hoc sibi prælegebat dictum Isidori: [Sicut nullum proficit medicamentum vulneris, si adhuc in eo ferrum sit, ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolus in mente vel odium manet in pectore.] Nec dubitabat suis exilibus næuis attribuere præsentium temporum calamitates, eâ sibi præfixâ S. Cypriani sententiâ: [Miraris in pœnas generis humani iram DEI crescere, cùm crescat quotidie quod puniatur?] Hisce SS. Patrum dictis animi puritatem seruare nitebatur, & augere quotidie, quo Deo cordis habitationem redderet gratiorem & nitidiorem.

Isid. Etymol. 6.

S. Cyp. ep. ad Deme.

* *
*

CA-

CAPVT XV.

Puritas intentionis in operibus.

TRes fines operibus suis, manè pro die toto, iterum cùm opus inchoandum esset, præfigebat Maiorem Dei gloriam, propriam & proximorum salutem. Ad primam verbis Apostoli se inflammabat inscriptis Breuiario Coloniensi: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et illud: *Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi.* 1. Cor. 10. Coloss. 3.

Manè varijs precibus opera sua, cogitata, verbaq; Deo consecrabat, postea singulis ferè diuersis operibus aptas & proprias orationes præmittebat, nonnullas sparsim varijs in capitulis attuli, vel adferam.

Ante labores.

[O dulcissime IESV, in vnione omnium laborum & sudorum tuorum, & in vnione charitatis tuæ, qua pro nobis tot labores suscepisti, & triginta tribus annis tolerasti, offero tibi labores & omnia opera mea, præsertim hoc N. &c.

Post labores.

Bone Iesv, hunc laborem meum tibi gratum faciant, omnium Electorum tuorum labores ac opera, pro tui amore & honore gesta, quæ cocta in suauissimo corde tuo, simul vnita tibi & per te Patri tuo offero in gloriam tuam, Amen.

Ante opus quoduis.

O Christe Iesv, in vnione charitatis illius, qua opus nostræ Redemptionis in medio terræ operatus es, offero tibi hoc opus N. & omnia studia mea ad maiorem nominis tui gloriam, meam & proximorum salutem.

Alia.

O Devs infinitę misericordiæ, ego miser peccator adoro cum ardore charitatis & infinitis meritis dilectissimi Filij tui, cum amore Spiritus S. cum desiderio & feruore B. Virginis Mariæ & omnium Electorum tuorum, petens vt des mihi continuum tui amoris augmentum, omnes actus meos præueniendo & dirigendo ad gloriam tuam.]

Postea

Poſtea ſolitus eſt varios & multiplices operibus præfigere fines, vel cum ijs peracto negotio DEO facta ſua conſecrare, quo maiora meritorum indies ſumeret incrementa, & id quidem per modum variorum ſacrificiorum in veteri lege Iudæis vſitatorum hoc exemplo:

[O clementiſſime Pater, ecce hoc quantulumcunq; laboris, ſcripturæ, lectionis, meditationis, orationis, &c. Sacrificium tibi offero in vnione acceptiſſimi & Sũmi Sacerdotis noſtri, ſine quo omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt vt pannus menſtruatæ, obſecrans vt id ſuſcipias in hoſtiam pro meis & totius populi peccatis. In victimam pro cordis impuritatibus, & affectuum maculis expiandis. In decimas pro recognitione tui in me dominij, quo tibi ad omnia me obnoxium agnoſco. In primitias pro omnibus beneficijs vnquam acceptis. In pacificum pro vnione mentis meæ, immò totius imaginis tuæ, cum te Deo viuo & vero. In ſacrificium, quod cultu ſummæ religionis & latriæ tibi tanquam Deo principio & fini debeo. In holocauſtum pro ardenti amoris dilectione debita. In incenſum pro conſummato

Oblatio perfectio. peris.

& perfecto resignationis amore. O dirigatur oratio mea, operatio &c. sicut incensum summi illius Sacerdotis in conspectu tuo, Amen.]

Denique, matutino tempore pactum cum Deo cępit inire elicito multarum virtutum exercitio prolixiori, vt omni diei hora sępius signo certo proposito, repetitisq; vocibus, *Deus meus & omnia*, ratam & confirmatam haberet matutinam cum Deo sancitam pactionem. Ita velut auarus & industrius mercator, nullam omni hora negligebat occasionem, multiplicatis virtutum actibus innumeros sibi metis virtutum actibus innumeros sibi meritorum cumulos comparandi. Hoc negotiandi genus nobis præcepit Christus, his verbis: *Negotiamini vsque dum venio*, quo quisquis assuescit vti frequentiùs, potest vno solùm opere tantum meritorum, quantum alter decem operibus acquirere, & vnius anni spatio feruidis & iteratis virtutum actibus, alterius tepidioris decem annorum merita superare.

Luc. 19.

Ingēs meritorū incrementū

Non abs re videtur imitandi cupidis idipsum hic proponere Exercitium.

EXER-

EXERCITIVM INGENTIS MERITI ET EFFICACIÆ, SEV Actus Heroicus & Pactum cum Deo ineundum.

EX PHILIPPO ROVENIO ARCHIEP. Philip. Vicar. Holland. in Inſtit. Chriſt. piet. Et P. Mart. à Matre DEI, *Carmel. Excalc. in Gymnaſ. Philoſ. Chriſt. Quos de vi & præſtantia huiuſmodi Exerc. pleniùs conſule.*

HOmo pius modico labore plurimum mereri cupiens huiuſmodi PACTVM cum DEO inire poteſt; Nempe, quòd ad certa quædam ſigna, v.g. ſonitum campanæ, aſpectum cœli, tunſionẽ pectoris, &c. (nam ſigna pro placito aſſumi & multiplicari poſſunt) velit & gratum habeat quoduis opus bonum & DEO gratum, quod vnquam factum eſt, ſeu hodie fit, aut vnquam deinceps futurum eſt, aut fieri poſſet. Item, toties ſeipſum velle DEO offerre; dolere de peccatis; renouare propoſita, vota; Deum adorare, laudare, &c.

Vim & valorem huiuſmodi Actus à contrario colligere licet. Si quis ſtatueret ſecum, quoties audit campanam, cœlum reſpicit, &c. toties ſe velle ratum & gratum habere, quicquid vnquam mali actum vel agendum eſt, optaretq; ſe eius eſſe participem, quantæ is ſe culpæ obſtringeret? Hoc itaque ſi in malo tam efficax eſt, quidni idem bono applicatum immenſæ virtutis & meriti erit? Sed en Formulam huiuſmodi Pacti.

O Benigniſsime Pater miſericordiarum, ego confiſus de immenſa bonitate tua, pro gloria nominis tui & ſalute animæ meæ, Pactum quoddam tecum inire cupio, in hunc modum:

Quoties cœlum ſuſpexero, vel pectus percuſſero, vel piam imaginem aſpexero; quoties horologium, aut ſignum Miſſæ, vel Eleuationis ſacratiſſimæ Hoſtiæ percepero; Roſarium vel librum in manus accepero: quoties carnem, mundum, vel Dæmonem, me in quacunque materia fidei, ſpei, charitatis, caſtitatis, patientiæ, humilitatis, &c. tentantem ſenſero, &c. Nunc pro tunc declaro, toties me facere & exercere velle omni meliori, quo fieri po-

poteſt, modo & formâ, Actus hoſce ſequentes: etſi fortè pro tunc ad hoc mente minùs aduerterem.

Toties, inquam, gaudeo & gratulor tibi ex animo, ob infinitas perfectiones tuas, quòd ſis, QVI ES, id eſt, DEVS ſummè potens, ſapiens, bonus, miſericors, iuſtus, &c. Summum Creaturæ rationalis bonum. Quòd nullius egeas, vtpote teipſo ſat beatus, & ſufficiens tibi: noſtra autem omnis ſufficientia ex te ſit.

Gaudeo etiam, Domine, propter opera bona, quæ vnquam facta ſunt, fiunt indies, fientq; inpoſterum, propter amorem tui: aliaq; omnia, quæ fieri poſſent ab ijs quos creaſti & creare potuiſſes: idq; eâ, qua poſſibile eſt, perfectione.

Gaudeo ob ea, quæ Dominus noſter IESVS Chriſtus, Virgo Maria, SS. Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, omneſq; SS. & fideles omnes egerũt ad gloriam tuam: nec non ob amorem, quo te æternùm proſequentur, & laudes, quas tibi in perpetuum dicent.

Offero tibi omnia ſancta Miſſæ ſacrificia, quę vel hactenus in Eccleſia peracta,

vel deinceps vſque ad conſummationem ſeculi peragenda ſunt; idque animo *Adorandi* & laudandi te vti Deum ſupremæ maieſtatis, potentiæ, ſapientiæ, bonitâtis, &c. Item *Gratias* tibi agendi, nec non *Placandi* te, & bona gratiæ & gloriæ *Impetrandi* à te.

Doleo de peccatis meis omnibus & ſingulis ex animo , propter amorem tui. *Spero* de infinita miſericordia tua veniam. *Propono* cum gratia tua , non amplius offendere te.

Doleo quoque de tot peccatis à mundi initio, hucuſque à quocunque homine commiſſis, ijſque te tam grauiter offenſum. Opto ex animo, vt compenſari aliquatenus meo ſanguine poſſent. Vtinam vice cuiuſque peccati ſingulis Æternitatis momentis mille tibi obſequia à SS. Angelis & omnibus Beatis deferantur.

Dimitto ex animo, amore tui, omnibus qui me offenderunt, vel quomodocunque læſerunt: & opto illis pro ſingulis offenſis, à te peculiarem aliquam gratiam ſeu beneficium. Et vtinam nunquam ipſi tuam offenſam incurrant.

In

In manus tuas committo me, & omnia mea, præſertim finem vitæ meæ, vt diſponas de me, vti re maximè tua, in tempore & æternitate, quod tibi placuerit, & viſum fuerit fore ad Maiorem Gloriam tuam.

Poſtremò offero tibi, quicquid poſſum melius, & meliori modo; præcipuè verò VITAM, Paſſionem & Sanguinem D. N. IESV Chriſti, in gratiarum actionem pro beneficijs omnibus Corporis & Animæ, quæ à te hactenus accepi, & deinceps accipiam, præſertim pro charitate, qua ab æterno dilexiſti me. Et pro dono perſeuerantiæ obtinendo, vt tibi inſeparabiliter adhæream.

Hunc ipſum Actum, quo ad ſingula membra, aliaq; his implicitè incluſa, toties ratum eſſe volo, quoties aliquod è ſignis pręſtitutis vel pręſtituendis edidero: imò tot vicibus, quot creaturæ productæ ſunt à te, aut produci poſſunt: quoties ſpiritum duxero. Denique quoties poſſibile vel imaginabile eſt, idipſum iterari ac multiplicari. Atque hoc purè ob amorem tui, omnesq; bonos ac ſanctos fines, qui ab vllo haberi poſſent.

Domine, quod dixi, dictum, factum, gratum, ratumq; volo; affectu, effectu, fructuque, quoad licet, maximo.]

Hunc actum hac forma prolixiore, semel in die, præsertim manè, vel ante seu post *Sacrum*, exercere sufficit. Sed sæpissimè ad signa constituta repetatur, quod haud erit difficile, cùm solâ & vnicâ mentis directione seu reflexione fieri possit. Item dicendo: O Iesv. Vel: O Devs mevs, & Omnia.

CAPVT XVI.

Gradum Licentiæ in Theologia Anno 1626. *suscipit.*

Ivre Coloniensis vrbis pleraque curata beneficia gradum in Theologia requirunt, velut publicum eruditionis partæ testimonium, vt Curiones authoritate maiori plebi præsint, norintq; conscientiæ quæstiones ipsi definire. Non defuit officio suo Iacobus, nam A. 1618. Baccalaureatum Biblicum, sequenti formatum receperat. Itaque A. 1626. 4. Nouembris gradum eidem in Theologia Licentiæ contulit Ioannes Gelenius Decanus Apostolicus & Vicarius generalis, cui virtus & do-

& doctrina recondita viri, pridem erat exploratissima, nam decennium eodem præside & moderatore studiorum suorum vsus erat Iacobus, eundem in consilium in rebus maioris momenti adhibebat: neque enim præfractè suam solitus fuit tueri sententiam, sed libenter aliorum placitis, quæ saniora videbantur, acquiescebat.

Adnotauit ipse diligenter annum diemq; recepti gradus, hac adiecta clausulâ: *Hic iubet Plato quiescere*; nam altiorem lauream, neque functionibus suis necessariam, neque proposito mentis, & voto postea concepto satis congruam reputabatur, malebatque sumptus tam grandes in ea caritate annonæ, qua multi fame moriebantur, in vsus pauperum dispensare. *Cur gradum Doctoratûs non admiserat.*

Talentum verò doctrinæ sibi creditum à Deo quàm vtilissimè cœpit in proximorum & propriam perfectionem accurandam diligenter impendere, quem in finem excussit sedulò SS. Patres & Scriptores omnes, qui Pastoralis officij partes & obligationem tractant & contemplantur vberiùs. Nec vllis deinceps pepercit sum-

Cura Bibliotheca. ptibus, dum Bibliothecam à libris non tam curiosis, quàm ad scopum suum facientibus instruxisset. Hic eius post Deum & officium thesuarus omnis, animiq; relaxatio, quæ tantam animo pariebat cum vtilitate summa voluptatem, vt somni cibiq; vix memor, ipsorum etiam quandoque morborum acutissimorum dolores ne persentiscere quidem videretur; quæ tamen eò referebat, vt omnes officij sui partes clariùs perspiceret & expleret studiosiùs. *Amor studiorum.*

CAPVT XVII.

Inducit in Parochiam frequentationem Sacramentorum.

IAcet D. Virginis Mariæ in Pasculo Parochia in templi Metropolitani cornu sinistro versus Occidentem, ostio solùm à reliqua Basilica discreta; nec concionandi munus adnexum habet, quo fungũtur à multis annis Patres Societatis Iesu in Æde Principe manè & post meridiem. Vnde totus in eo sub initium fuit, vt eorum Sacramentorũ induceret frequentiam, quibus animæ puritas & gratia vel acquiritur vel conseruatur. Ad sacrũ tribunal quotidie

dic ferè Sacerdotib. in æde summa facientibus, pridie verò festorum aut Dominicæ tam Parochianis suis, quàm alijs fidelibus confitentibus operam dabat: nam ob morum facilitatē, integritatē vitæ, ac de alijs bene merendi studium, adibatur à multis aliarū Parœciarum, obtenta à Vicario potestate quosuis audiēdi, seriam adhibebat operā & curā, vt formaret rudes elementis fidei, pauperes solaretur, & egestati subueniret, pecuniosos ad opera misericordiæ pelliceret, omniū necessitatibus vt Pastor bonus consuleret. Præcipuā verò pauperū & afflictorū ducebat rationem, in quibus Christum agnoscebat, fouebat, venerabatur, gnar⁹ diuites & lautioris fortunæ homines faciles & obsequentes multorum nancisci aures, cùm egeni miseriq; vix audiantur, quandoq; vultu seueriore repellātur, vel asperioribus excipiantur obiurgationib. vt redire metuant. Nec vitiorū grauiorum fugam tantùm suis inculcabat, sed quos capaciores nanciscebatur, ad sanctiorem vitæ rationem ineundam, puram Dei gloriam in operibus potissimùm bonis absque vanæ gloriæ cupiditate spectandam, amorem inordinatum crea-

Assiduitas audiendi confessiones.

Pauperum & afflictorum cura.

excitat pœnitētes ad maiorē pfectionē.

creatarum rerum funditus extirpandum, voluntatem suam cum diuina conformandam exstimulabat: oblatis chartis aut libellis vernaculo vel Latino sermone vulgatis, quibus istiusmodi virtutum actus continebantur. Pendebant verò ab ore Pastoris ouiculæ, vt nutum eiusdem sequerentur: vnde ingens eorum apud morientem & in funere comploratio gemitusque, quibus orbitatem suam deflebant. Sic inducta in Parochiam paulatim octauo quoque die sacræ Communionis frequentatio, pietas fidelium aucta, concursus ad templum maximus & reuerentia cultûs diuini maior introducta.

Subiungo praxim, qua vtebatur in Sacramento Pœnitentiæ administrando.

METHODVS PRÆPARATIONIS ad audiendas Confeßiones.

I. MAgni refert Confessarium debitè æstimare munus suum, ideoq; magno animo & zelo, muneri suo operam dare. Vt verò de illius dignitate, vti par est, altè sentias, expende:

1. Sacerdotem audientem & recipientem peccatores, esse Vicarium Christi

Sal-

Saluatoris, eiusq; vices & munus gerere, dum pœnitentes absoluit, gratiæ & cœlestis regni hæreditati per ministerium suum restituit. Vnde & Deus sententiam suam, quodammodo ad sententiam Sacerdotis restringit. 2. Licere tibi in Sacrosanctum illum Thesaurum, & fontem Sanguinis Domini manus immergere, vt eo sordidas noxiorum animas abluas & exornes. 3. Quam nobilis sit anima illius, quem ante te vides prostratum, non solùm naturâ suâ, quia est ad imaginem & similitudinem Dei condita, verùm etiam precij infiniti excellentiâ, quia Sanguine Christi redempta est. 4. Te vt Confessarium, proximè ad salutem animarum operam tuam conferre: colligis enim quodammodo fructus, & metis sementem Concionatorum. 5. Delectum te esse à Deo Confessarium, vt ex Diaboli seruitute in libertatem Filiorum Dei vindices Homines peccatis obnoxios, quod S. Augustinus maius dicit opus, quàm vniuersum Mundum creare. 6. Maius esse gaudium in Cœlo de vno qui ex peccatis resipiscit, quàm de nonaginta iustis, qui non indigent pœnitentiâ. Quare vt eius

gau-

gaudij Ministrum & Auctorem, ex parte Muneris & Officij tui, te esse perpende.

II. Mens tua, in hoc munere, rectè ferri ad Deum debet, vt nil in hoc opere, nisi Diuinam gloriam & salutem proximorum spectes, non tuum commodum, non voluptatem, quam capias ex confitentiũ dignitate, numero, curiositate, &c.

III. Magnoperè decet, antequam aggrediaris tam arduum opus, præparare animum aliqua breui precatione vel cogitatione, de eius negotij præstantia, quod aggredieris: Es enim ægrotis animis Medicinam, cæcis lumen præbiturus, oppressos graui onere, errantem ouiculam ad Christi ouile reuocaturus. Confugito insuper ad opem alicuius Sancti, Patroni, & Angeli Custodis, tui & illius qui confitetur, simul offerens pro tua & confitentis salute, Patri æterno, opera, labores, merita, Vulnera & Sanguinem Christi.

IV. Necesse est, vt, antequam ad sedem tuam accedas, animum tuum diligenter præpares & munias, præsertim ad patientiam: Est enim difficile hoc negotium, tum propter fœda peccata, quæ audiuntur,

tur, tum propter intricatos casus, qui incidunt, tum propter diuersa hominum ingenia, difficilia & morosa, cum quibus agendum, tum quia multi non satis parati, ad Confessionem accedunt. Ad omnia ergo, priùs confirmandus est animus tuus insigni longanimitate, vt dicere possis: *Omnibus omnia factus sum; vt omnes lucrifaciam.*

V. Magnâ etiam curâ caueto, ne, dum alios purgas, ipse fœdêris. Imitare ergo medicos; Hi, dum visunt ægrotos, ne contagione lædantur, ferunt odores, aliaq; contra luem amuleta: Sic te aliquid ad manum habere oportet, quo te à fœda ac periculosa vitiorum contagione incolumem serues.

VI. Tametsi Ius absoluendi à peccatis ex parte Sacerdotis, non ex eius bonitate, vel improbitate, pendeat: Vis tamen maxima est, in eius sanctimonia & coniunctione cum Diuina voluntate, ad inducendum aliquem ad veram pœnitentiam peccatorum & promouendum in virtute: Pater enim vt plurimum sibi similes filios gignit, qui verò sibi nequam, cui bonus? Hoc tibi quoque dictum puta.

VII. Prętet scientiam, magna vti oportebit dexteritate. Cùm enim sis Pater quidam Spiritualis, Medicus & Iudex, in Patris officio cauendum, ne vel indulgentior sis, vel seuerior, quàm res postulat; ne quem consolari debes, acerbitate verborum affligas. In officio Medici, ne præbeas medicamenta minùs accommodata, ad morbi & ægroti naturam, quibus malum non sanatur, sed potiùs augetur. Denique, in Iudicis officio, ne condemnes absoluendos, absoluas condemnandos, sed æquam, rectam & tempestiuam sententiam feras.

VIII. Audiens grauia peccata, exemplo Christi, pœnitentis miserearis; sis Samaritanus, saucij curam suscipiens, & duos in te affectus excita. 1. Humilitatis, vt sentias te omnium peccatorum pessimum, in grauiora peccata ruiturum fuisse, nisi Diuina manus te tenuisset. 2. Timoris, ne dum aliorum sordes abluis, ipse conspurceris. Antequam igitur aurem præbeas confitentibus, doleas de tuis peccatis, vt nullum Spiritui Sancto obijcias impedimentum.

IX. Spem magnam concipias de auxilio Di-

Diuino tibi minimè defuturo in hoc munere, quod à Deo impositum est, & Dei causa exercetur. Lucem itaq; & auxilium à Deo efflagita, vt iuuare proximum possis.

X. Non solùm à peccatis hominem libera, sed magis magisq; proueche ad sanctitatem, suoq; in statu vnumquemque proficere contende. Ideoq; considera cuiusque ingenium. Hinc vias & modos excogita, quibus faciliùs iuuari possit.

XI. In habitu exteriori sis grauis, non tamen asper, sed benignitatem Paternam præ te feras, qua homines alliciantur, sibiq; persuadeant, nihil te præter salutem ipsorum spectare. Vnde fiet, vt ameris vt Pater, & honoreris vt Christi Vicarius, & Christi persona in te spectetur.

XII. Opere absoluto, Deo gratias age, quòd te dignum tam nobili ministerio fecerit. Deinde, quod à te factum, commendabis Domino Deo, vt quæ tuo ministerio sparsa sunt semina, ea pro sua pietate, Christi Sanguine foueat, & ad frugem perducat, vtq; absolutos à recidiua custodiat, & perseuerantiæ dono firmatos ad vitam æternam perducat, Amen.

Ora-

Oratio Præparatoria ad audiendas Confeßiones.

Antiphona.

VEni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuersitatem linguarum cunctarum, gentes in vnitate fidei congregasti, Alleluia.

Vers. Cor mundum crea in me Deus.
Resp. Et Spiritum rectum innoua in visceribus meis.
Vers. Ne proijcias me à facie tua.
Resp. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
Vers. Redde mihi lætitiam Salutaris tui.
Resp. Et Spiritu Principali confirma me.
Vers. Docebo Iniquos vias tuas.
Resp. Et Impij ad te conuertentur.
Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paracletus, qui à te procedit, illuminet & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Ad-

Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus Sancti, qui & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Domine IESV, qui promiſiſti Apoſtolis tuis, vt, ſi quid mortiferum biberint, inuocato ſalutari Nomine tuo, non eis noceret: Da, vt tanta puritate, confitentium errata excipiam, vt nil terrenæ labis cogitationibus meis aſpergant, ſed potius ad conuertendos ad te peccatores, animũ fortiter inflamment. Domine IESV, qui me Vicarium tuum, in officio ſacerdotali, ad reconciliandos peccatores reſipiſcentes conſtituiſti, & vis omnes ſaluos fieri, atque ad veritatis agnitionem peruenire, exaudi me, pro famulis & famulabus tuis, conſcientiarum ſuarum abdita & arcana, mihi, tua vice, reſeraturis: Concede mihi Spiritum diſcretionis, vt eos dirigam in viam ſalutis. Da illis cor cõtritum & humiliatum, vt ab omnibus Diaboli laqueis fœliciter expediantur, digniſque pœnitentiæ fructibus abundantes, poſt huius vitæ curſum, ante Tribunal tuum comparere non pertimeſcant, ſed à deli-

ctorum

ctorum omnium inquinamentis, precioso Sanguine tuo emundati, sub sacratissimorum Vulnerum tuorum tutela, ad gloriosum Diuinæ faciei tuæ conspectum admittantur. ~~Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum~~, ~~qui tecum viuit & regnat~~, in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Am.

Qui viuis et regnas cū Deo Patre,

CAPVT XVIII.

Ante Paschale tempus inuisit Parochianos, admonet officij, corripit.

Visitat suos,

CAptabat opportunitatem Parochianos singulos adeundi cùm opus, eos sui officij commonebat in Paschate, quosdam amicis & blandis verbis corripiebat, nonnullos etiam acriùs perstringebat, & vitia, quæ cum offendiculis aliorum coniuncta videbantur, velut vlcus pestiferum sic obiurgationis nouaculâ incidebat, vt virus latens educeret; ne hac in re tam virorum illustrium aut Prælatorum personas, quàm officij sui rationem & hanc Principis Pastorum comminationem attendebat: *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est,* *non*

corripit

Ezec. 34.

non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis. Quòd si monitio carere fructu videretur, rem Deo, sanctis Regibus, alijsq; Patronis diligenter, nec sine fructu commẽdabat: sæpe enim ad serui sui fidelis voces & preces corda Deus occultè permouebat, vt suis non deessent partibus: Omnes enim eius verba, dicentisq; vim & quandam authoritatem virtute partam verebantur, quam Deo nixa rebus in arduis fiducia, verborum ipsorum pondus & circumspectio augebat. Solebat eodem tempore quosdam certis donare libellis asceticis, statui vel necessitati priuatæ congruis; idem amicis alijs extra parœciam præstabat fructu non pœnitendo. Cuidam ordinis Senatorij viro Heliotropium P. Drexelij donarat, is legere magna voluptate cœpit, & stetit lectioni fructus; eâdem hebdomadâ casus acerbissimus sic perculit eundem & penè prostrauit, vt ingenuè Iacobo confessus sit, nisi se ruentem penè in desperationis barathrum libri monitis erexisset & gradum firmasset, collapsurum fuisse.

Fructus donati pij libri.

Ac licet laborarit, vt oues ad ouile suum duceret, cum religiosis tamen familijs arctâ

cta familiaritate se obligabat, nec eorum priuilegia voluit infringere, vel subditos ab eorum sacris tribunalibus auertere, quin imò fundatores earum vel Patronos colebat ipse, festis eorum diebus sæpiùs apud eos sacris operabatur: ijsdem festis vota quandoque nuncupabat, vel testamentarias tabulas condebat, aut emendabat.

CAPVT XIX.

Officia diuina curat diligenter, ornat Ecclesiam, pietatemq́; promouet.

CVm Psalmista regio *diligebat decorem domus Dei, & locum habitationis ejus*, & tam Sacrum, quoties canendum esset, quàm officia reliqua diuina, curabat, vt distinctè, articulatè, religiosè, augustèq́; cum præsentium pietate peragerentur, talesq́ue sibi vel Vicarios sufficiebat, vel Diaconos, Subdiaconosq́ue adsciscebat, quos vultûs modestia, morum maturitas, & cultûs diuini reuerentia maximè commendabat. Quoties Æditus vel alij Ministri Ecclesiæ noui eligendi essent, nullius amici rogatu, vel alterius minùs sinceri affectus studio se abduci patiebatur.

quin

quin ex omnibus officij candidatis (quorum plurimos proponi sibi peroptabat) eum assumeret, quem maximè iudicaret ad id munus idoneum, & cultûs diuini propagatorem præcipuum.

Arã Principem construit. Aram Principem, Pedem eius, Cancellos ligneos, suis ferè curauit sumptibus opere firmo & eleganti. A Dominis Ædilibus Doctore Henrico Oekhofen Ecclesiæ Metropolitanæ Colon. Syndico, & Ioanne Kinchio Senatore & Bibliopola familiarissimis intimis suis, quibuscum ferè omnia consilia sua communicabat, statuas faberrimas Deiparæ Virginis & S. Huberti Patroni; ab amicis alijs ornamenta varia impetrauit. *auget sacram supellectilẽ.* Ipso Pastore altaria pallijs pretiosis vestita, sacra supellex ciborio calicibusq; aucta, vestes Sacerdotales è tela præstantissima elaboratæ. *curat mũditiem.* Nec minùs ornatûs quàm munditiæ fuit studiosus, lineam altaris supellectilem lautam & elegantem requirebat indicem puritatis animi, quam in hominibus sacrâ Synaxi reficiendis Deus exigit. Ob hanc instrumenti sacri & altarium nitorem & elegantiam libenter & ipsi Metropolitani Collegæ in ea Parœcia faciebant.

Anno 1625. die Paschatis eodem loci Illustrissimus Nuncius Apostolicus Episcopus Tricariensis, cantato solenni Sacro, Parochianos omnes sacra refecit Synaxi. Eodem anno D. Virginis Mariæ cognatam Elisabeth visitantis festo die R. D. Ioannes Horstius auunculus Iacobi Iubileum ibidem celebrauit, quod ipse insigni symphoniâ vocum, neruorumque concentu concrepante cohonestauit. Ad hæc quoties 40. horarum Oratio ibidem indicebatur, præter diuersarum familiarum Religiosos ibi Sacra factitantes, Illustres etiam Canonici Metropolitani ob insignem Diuini cultûs Maiestatem eo confluebant: nam ipse Iacobi aspectus, cantus, & diuinorum mysteriorum administratio, præsentibus afflare pietatem, & inflammare mentis ardorem videbatur.

CAPVT XX.

Studium piè canendi vel dicendi Horas, orandi voce vel mente.

ÆGerrimè ferebat pręcipitem & nimia celeritate concitatum cantum Vigiliarum, vt satis in libris varijs & testamento suo

to suo significat, quem cùm emendare non posset, ne præsentiâ probare videretur, abesse malebat; summam adhibebat diligentiam, vt animam sat diu ante præpararet, & contra teporem & euagationem varijs adminiculis præmuniret. Inscripserat Breuiario subiectas sententias: *Si cor non orat, in vanum lingua laborat. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Illius est oratio perfecta, cuius & causa clamat & lingua, & actus & sermo, & vita & cogitatio.* Cassiodor. super Psalmos. Et illud S. Isidori: *Oratio cordis est, non labiorum; neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor adspicit; meliùs est cum silentio orare corde sine sono vocis, quàm solis verbis sine intuitu mentis.*

Præparatio ante Horas.

Isodor. l. 3 c. 8.

Adhæc hasce considerationes, quas subijcio, sæpe animo voluebat, vt tantò maiori cum deuotione Horas diceret.

I. Considera Dei Maiestatem, eiusq; præsentiam tibi propone, & quomodo omnis spiritus laudet Dominum, & omnia opera eius benedicant ei: atque æmulare.

Præuia considerationes.

II. Te constitutum, vt pro Magistratu

Ecclesiastico & Politico, pro amicis & inimicis, pro sęcularibus, distractis, captiuis, infantibus de Baptismo, & omnibus de salute periclitantibus, pro viuis & defunctis Deum ores, quàm sit proinde æquum, vt deuotè id facias. Cogita voces & lacrymas multorum afflictorum suspirantium in aduersis, & dirâ seruitute peccati in æternæ damnationis periculis.

III. Ad finem singulorum Psalmorum, sub *Gloria Patri*, singulariter recollige animum, & renoua attentionem: SS. Trinitatem intimo corde lauda, reuerere & adora: Desiderans illos in te sentire affectus, quos Psalmi varios passim suggerunt; ideoq; diligenter obseruandi sunt, velut Amoris in Deum, Doloris de peccatis, Laudis diuinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis; Admirationis, Gratiarum actionis pro beneficijs, &c.

IV. Quanto pietatis fructu gustuque & gaudio spiritûs Horas legere posses, si curares psallere sapienter, id est, si intellectui Psalmorum, quos Spiritus Sanctus dictauit, deuotè intenderes; vt eos, non Coll. 10. c. 10. tamquam à Propheta (vt Cassiani verbis vtar) compositos, sed velut à te editos,

tos,

tos, quaſi orationem propriam, profundâ cordis compunctione depromeres; vel certè ad tuam perſonam æſtimares eos eſſe directos: quos viri ſancti magno affectu & fructu recitare ſoliti ſunt. O quàm diſplicet ſummo DEO, ea, quæ ipſe inſpirauit, vt ijs poſtulare nos faceret gemitibus inenarrabilibus, recitari quandoque cum fabulis & riſu, aut ſaltem vanis cogitationibus, id eſt, ſordibus ſacratiſſima verba, quibus longè maior, quàm Sanctorum reliquijs, veneratio debetur, miſceri! Quàm Sanctis diſplicet, verba, quibus ipſi Deum tam ſeriò & ſedulò honorarunt, ea per te inhonorari & quaſi prophanari! ijsq; vanas ac carnales cogitationes admiſceri; vt fiat deteſtabile illud: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

V. Deum ad hoc tibi de ſuo patrimonio largiri alimenta, vt ritè id officium ſibi præſtes; & quàm turpe, in eo negligenter verſari! Sanè, ſi audias ſeruus nequam & fraudulentus, quomodo effugies iram ſupremi Patrisfamilias?

VI. Orationem canalem eſſe, quo ad nos DEI gratia deriuatur; & quàm tur-

pe, illam tibi fieri, per negligentiam in peccatum, & gratiæ detrimentum!

VII. Esse sacrificium, quod, sicut Eliæ, igne cœlitus misso accendi debeat, vt fiat illud Psalmistæ: *In meditatione mea exardescit ignis.* Sed quemadmodum Abel optima quæque offerebat, Cain deteriora; ita tempus & locum deteriora aliqui eligunt, commodiora vilibus rebus, studijs & fabulis tribuunt.

VIII. Esse quasi sacrificium thymiamatis, quod ex suauissimis aromatibus conflatum; de quo Apocal. 5. dicitur, Angelos apparuisse, *habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Quidquid ergo virtutis in nobis est, in oratione succendi Deo debet, vt placeant verba nostra in conspectu summi Principis. Sapiens ait: *Aurum tuum & argentum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Quomodo enim sanabitur, qui Orationem, quæ malorum omnium remedium est, efficit suâ negligentiâ venenum? Quàm autem indignū, bla-

blaſphema, turpia, vana, otioſa, iocoſa, noua, cum ſacris admittere. Sed quantâ reuerentiâ te pſallere par eſt, qui pro omnibus, qui Deum inhonorant & ignorant, venis vt adores & honores? O quantâ nos meritò verecundiâ affici debemus, quos pudet irreuerenter agere cum hominibus, & non cum DEO, Rege regum!

ORATIO ANTE HORAS Canonicas.

APeri, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum: cupio enim tibi attentè & fideliter pſallere, teq́ purè laudare in vnione & virtute illius perfectiſſimæ attentionis, qua tu Patrem oraſti & laudaſti in terris, & hymnum in horto dixiſti: præ mœſtitiâ cordis anguſtiâ, cum ſudore ſanguinis orans: adiuua me gratiâ tuâ, ſine qua nihil poſſum, & vis immenſæ charitatis tuæ ſuppleat omnem defectum meum, vt placeat tibi obſequium ſeruitutis meæ, quod offero ad gloriam nominis tui, ad meam proximiq́ ſalutem, Amen.

Ruminabat ſub cantu, dum mora quędam interponeretur, ſimilia: *Quorſum mihi vitam dediſti, ô ſumme Deus? quare me* *ſub cant aſpirationes*

formasti ad imaginem tuam, & similitudinem tuam? quare me Sanguine tuo redemisti? quare me in hoc vitæ statu, cur hoc in loco collocasti? Nonne vt seruiam, placeam & viuam tibi, vt laudem te nunc & in æternum? Verè, Domine, tu es pars hæreditatis meæ & calicis mei, ô Deus meus, & omnia. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? In manibus tuis sortes meæ, &c. Inops & miser sum ego; ex te verò omnis sufficientia mea. Tu ergo operi manuum tuarum porrige dexteram. Adorna me virtutibus ac donis statui meo magis necessarijs: confirma hoc, quod operatus es in me; tolle à me, quidquid tibi displicet in me, & tribue, per quod perfectiùs amem & colam te.

Id ipsum in diurna quadam recollectione versabat animo, & attentiùs meditabatur.

ORATIO POST OFFICIVM, AVT longiorem Orationem.

DIrigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, ô Rex regum, optime, potentissime, & sapientissime. Defectus & errores eiusdem ignoscat, quæso, Paterna Clementia tua, & suscipe eam in vnione omnium orationum Christi Domini, & Sanctorum in cœlo

& in

& in terra, ex omni affectu triumphantis & militantis Ecclesiæ, ad gloriam tuam, & laudem B. Virginis, & Sanctorum omnium, & eorum, quos hodie, vel ex decreto Ecclesiæ, vel tanquam Patronos sponte mea colendos suscepi, ad memoriam Paßionis Iesu Christi Saluatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs tuis: ad salutem omnium, qui se mihi commendarunt: in satisfactionem pro peccatis meis, & gratia tua impetrandi, & hac virtute N. & concede, vt benedicam te in omni tempore; & sicut laus tua semper est in ore meo, sic etiam corde & opere te prædicem, vt sobrietate, modestia zelo & deuotione, puritate, obedientia, mansuetudine & patientia tibi placeam; vt omnes te ament & glorificent, qui es benedictus in secula, Amen.

ORATIONES DE PASSIONE Domini,

Singulis Horis Canonicis accommodatæ.

Ad Masutinas.

DOmine Iesu, per amorem, quo tuos in fine dilexisti, per sanguineum sudorem,

quem in horto fudisti, per iniurias & dolores quos à tuo Discipulo traditus & venditus, ab impijs Iudæis ligatus & distractus sustinuisti, absolue meorum vincula peccatorum, trahe & liga hanc animam meam, tibiq; adstringe triplici charitatis funiculo, qui dissolui non poßit, & in æternum non separer à te. Qui viuis, &c.

Ad Primam.

Domine Iesu, qui horâ diei primâ Pilato præsentatus, Iudex cœlestis iudici terreno, & reus falsorum criminum ab impijs Pontificibus factus fuisti; succurre nobis miseris peccatoribus in iudicio vt non æternis supplicijs cum impijs condemnemur, sed tuis fidelibus iungi in cœlestibus mereamur. Qui viuis &c.

Ad Tertiam.

Domine Iesu, qui horâ diei tertiâ flagellis cæsus, & spinis coronatus fuisti; tribue nobis famulis tuis, vt corpora nostra voluntariâ castigatione macerantes, sub capite spinoso digna censeri membra mereamur. Qui viuis &c.

Ad Sextam.

Domine Iesu, qui horâ diei sextâ transfoßis manibus & pedibus, è Crucis ligno pependisti, ijsdemq; clauis damnationis nostræ chirogra-

graphum in patibulo confixiſti ; concede animæ meæ, vt liberata à ſeruitute peccati, has ſanctiſſimas plagas tuas, tanquam inſignia liberationis meæ ſemper feram in medio cordis mei. Qui viuis &c.

Ad Nonam.

Domine Ieſu, qui horâ diei nonâ, conſummatis omnibus, inclinato capite Deo Patri Spiritum reddidiſti, atque in mortuum hominum genus ſpiraculum vitæ inſpiraſti ; concede mihi peccatori, vt qui totum me tibi debeo pro me facto, totum me iterum reddam pro refecto, nec iam mihi ſed tibi, qui pro me mortuus es, in perpetuum viuam. Qui viuis &c.

Ad Veſperas.

Domine Ieſu, qui horâ veſpertina è Cruce deponi mortuus in ſanctiſſimæ Genitricis tuæ brachia voluiſti ; concede propitius, vt & crucem meam, quam mihi largiri pro tua bonitate volueris, nunquam in vita derelinquam, & in morte ex ea depoſitus, per clementiſſimæ Matris tuæ manus ante te merear præſentari. Qui viuis &c.

Ad Completorium.

Domine Ieſu, qui horâ Completorij in ſepulchro quieuiſti, & à Matre tua mœſtiſſima,

& ab alijs mulieribus planctus fuisti: fac nos, quæsumus, tuam sanctißimam Paßionem veris lachrymis plangere, nec vnquam ea, per quæ iterum crucifigaris, admittere. Qui viuis, &c.

Collectas seligit meliores. Familiares sibi Collectas quasdam fecerat, quibus certas virtutes, amorem, castitatem, humilitatem, patientiam & similes à Deo flagitabat; præterea eam de Venerabili Sacramento: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili &c.* & pientissimam orationem, *Anima Christi sanctifica me*, frequenter vsurpabat, præsertim cùm transeundũ templum &c. Reliquas eius preces vocales licet haurire ex Fasciculo thuris & myrrhæ A. 1629. vulgato, & Paradiso animæ.

Meditatio eius. Vocali mentalem adiungebat, vitam Christi Deiparæq; sępiùs contemplando, pios sẽper affectus, proposita, colloquiaq; eliciendo è singulis vitæ Christi mysterijs; videri de hoc citatus Fasciculus potest. Auctum piè meditandi studium, ex quo per octo dies aliquoties se asceticis S. Ignatij Commentationibus exercuit. Exinde praxin viæ Spiritualis Ludouici de Palma Societatis Iesu voluit assiduè, mentemq; ma-

magis à rerum creatarum amore ad diuina contemplanda erexit.

Oblationem, quam peracta meditatione solitus est adhibere, & Breuiario inseruerat, subijciam.

Oblatio Meditationis.

Suscipe, Clementissime Pater, hoc meditatorium sacrificium Passionis D. N. I. C. quod in vnione omnis eius reuerentiæ, charitatis, obedientiæ, mansuetudinis, patientiæ, &c. in Passione sua exercitæ, & omnium laudum tibi in hac vita exhibitarum, & in æternum exhibendarum, tibi ego vilitatis abyssus cum omni eo, quod sum & possum, in tempore & æternitate offero; præsertim in vnione articuli huius N. à me iam meditati aut meditandi, ad tuam & ipsius gloriam, laudem & benedictionem perpetuam, in plenissimam super beneficijs gratitudinem, in omnium Sanctorum honorem, in totius Ecclesiæ profectum, vt in Purgatorio existentes N. & N. liberentur, peccatores conuertantur, iusti in gratia conseruentur, & præsertim vt ego ipse & omnes mihi in oratione commissi, tanto sacrificio iuuentur.

* *
*

CAPVT XXI.

Cultum Venerabilis Sacramenti omni die Iouis in Parochianis excitat, cum insigni diuinæ prouidentiæ argumento.

antiquas fũdatiões obseruat

ANtiquas fundationes Sacrorum, licet iniuriâ temporum stipendium & annuæ pensiones nullæ soluerentur, non negligebat, præsertim in ijs, quæ natæ erant in Parochianis alere pietatem. Exemplo sit, die Iouis solennis Sacri decantatio de Venerabili Sacramento, veteri instituto; iam quatuordecim ipsos annos nihil ex ea prouentuum annuorum perceperat, & vt se dabant tempora, nihil vnquam speraturus videbatur, quin & ipse de suo peculio Cantoribus, Æadituo, cæterisque Ministris pendebat debitum stipendium; nec tamen eum augustissimi Sacramenti cultum, quo mirificè Parochiani magnâ frequentiâ confluentes, accendebantur, omittere decreuerat in omnem reliquam vitam. Id cùm ad extremum vsque morbum constanter fecisset, Deus ne vinci se liberalitate videretur, permouit occultè cor eius, à quo solutio pendebat. Incidit is casu in librum à Iacobo

absque stipendio.

bo ſcriptum, & captus authoris ſpiritu, dum nomen inquirit, & idem cum eo comperit eſſe, cui penſiones tot annorum debebantur, vt debiti cognouit obligationem & virum; per litteras offert ægro præter expectationem deſperatas penſiones. Hic pius vir ſurſum in cœlum manibus ſubleuatis exclamauit: Quàm verè *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.*

cũ diuinã compenſatione.

Dici non poteſt, quo arſerit deſiderio cultum huius auguſtiſſimi Sacramenti in ſe & alijs promouendi; hunc in finem quot hebdomadis die Iouis Sodalitatem Eccleſiaſticorum Venerabilis Sacramenti adibat, è cuius Magiſtratu ferè ſemper erat, quòd ipſum aſſiduitate nemo adæquaret. In hac Sodalitate ſæpe Sacerdotes ad muneris obligationem ardenti dictione eſt cohortatus, ijſdem aphoriſmos dedicauit, quibus omnia collegit, quæ ad diuiniſſimum Sacramentum piè ſumendum & miniſtrandum alijs, poſſent deſiderari.

auget cũl tũ Ven. Sacramenti

Complura congeſſit alia in Paradiſo eiuſdem argumenti; vt ideo meruerit die Iouis etiam ſanctiſſimè vitâ defungi.

CA-

CAPVT XXII.

Conuersatio & colloquia eius pacifica, vtilia, pia, diuina

Linguæ damna

THomas de Kempis de ſeipſo queritur: *Quoties inter homines fui, minor homo redij.* Nimis hoc ex vero dicere plerique poſſunt; nam ad colloquia multos effrenis linguæ trahit licētia, ſolatia perſæpe quærimus ab amicis, aliàs noua, curioſa, iocularia conſectamūr. Alia Iacobi mens, à ſtudijs ægrè ſe abduci patiebatur, qui cū Deo librisq; loqueretur aſſiduè & iucundiſſimè; ſi neceſſitas, charitas vel officij ratio poſtularet, prōptiſſimus erat, & verba nō linguę libertate, cuius ſi quis alius dominus erat, ſed vtilitate vel neceſſitate metiebatur, pręſertim ſi pax inter diſſidentes componenda, æquum ſe partis vtriuſque cōſtituebat arbitrum, cuius arbitratu ſtarent oēs; ſin triſtes, afflictos & calamitatib. preſſos conueniſſet, melliflua dictione ſolabatur, & conformationē volūtatis cum diuinâ, rationibus efficacib. perſuadebat, cū doctis docta, non tñ vana, curioſa vel affectata; ſed vtilia miſcebat colloquia, diſcendi quàm docēdi cupidior; nequaquā tñ ijs ſimilis, qui ſua nulli cōmunicare vel

cauet

colloquia pacifica.

Conſolatoria.

vtilia,

inuenta vel ſcripta, vel aduerſaria volunt; omnia potiùs ipſius amicis cõmunia, libri, MSS. recõditęque quęuis hiſtoriæ, vel ſi quid aliud vſus poſtularet, crederes eum accipere cõmodando, non cõferre beneficiũ. At cum nullis æquè libẽter, ac cũ Religioſis miſcebat, & de reb. aſceticis colloquia; *Aſcetica.* tunc n. vero geſtire animus, ridęre vultus, dilatari cor & diffluere gaudijs, cùm in virum eiuſdẽ propoſiti ſpirituſq; incidiſſet. Nã qui parciſſimus erat tẽporis, hic nullas numerabat horas, cordis intima pãdebat, & ignitis verbis alios ſuccẽdebat, quæ ſola videbatur arcui ſemper intento ſtudijs remiſſio, mentiſq; plena relaxatio. Teſtatur Religioſus, quo familiariter & ſæpiùs vtebatur, nũquam ſe cum eo locutum, quin cũ Seneca *aliquâ ſui parte emendatior redierit.* De eo teſtatur is qui ſuprà, Adamus Kaſen: *Magnus in viro fuit zelus animarum, magna libertas ſpiritûs, vt in cauſa* Dei *& animarum timeret omnino neminem, Magnates etiam & Viros principes, ſi qui in ipſius* Paro*chia domicilium haberent, aut exules fixiſſent ſedem, adiret in* Paſchate, *& ſuauiter officij Chriſtiani commonefaceret, diſsidentes hortaretur ad concordiam, aliaq; muneris*

Pa-

Paſtoralis officia non diligentiſsimè tantùm; ſed & perfectiſsimè ſumma pietate & ſenſu animi, cum maxima ſpectantium ædificatione perurgere conaretur, non aliud cor eius eructare, os loqui, penna ſcribere, quàm ſpiritualia norat; quod non modo tot ab ipſo pij libelli editi teſtatum faciunt, verùm ij omnes, qui cum viro ſæpius egerunt, fateri cogentur: ipſe enim de diuinis rebus loquendi ſcribendiq́; modus & ardor ſatis manifeſtum faciunt, quo ſpiritu intus ageretur. hæc ille. Itaque non erat quod ipſe vereretur, ne inter homines rediret minor ab hominibus; ſed potiùs gauderet, quòd alios à ſe aliqua ſui parte perfectiores dimitteret.

CAPVT XXIII.

Temporis accuratiſsima ratio in ſomno, cibo capiendo, conuiuijs, &c.

ep. 9. ad Lucil.

SEnecæ monitum hoc continuò vellicabat aurem Iacobi: *Vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige & ſerua; perſuade tibi hoc ſic eſſe, vt ſcribo, quædam tempora ſurripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt, turpiſsima tamen eſt iactura, quæ per negligentiam fit, & ſi volueris*

Ratio temporis.

at-

attendere, maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æstimet? Imò temporis ponebat pretium, & horas etiam vel momenta Iacobus æstimabat; nihil malè, nihil aliud agenti elabebatur; nihil subducebatur, ne per cibi quidem sumptionem, nihil auferebatur per intempestiua colloquia; paucas somno indulgebat horas, in multam noctem ad vndecimam & vltra lucubrare solitus. Primo diluculo vacabat precibus, inde Matutinis cantandis, legendo Sacro, diuinisque officijs & Parochialibus muneribus occupabatur: quod reliquum, studijs impendebat. Prandium quoties sumebat, vel cœnam, lectione sacra condiebat, vsus eam in rem versatili pluteo, quod sic adduceret, vt cibi sumptionem neutiquam impediret, & tunc potissimùm Scripturæ caput euoluebat, nec erat necesse manus oculosque, multum in ferculis deligendis occupare, qui vno ferè contentus, ciborum varietatem vt valetudini noxiam vitabat, simul vt gulam hostis ipse sui capitalissimus frenaret; neque enim ciborum in-dul-

Manè.

In mensa

dulgebat ſuauitati, ſed naturæ ſeruiebat neceſſitati; ad alimenta velut medicamenta cum S. Auguſtino adire ſolitus.
Declinat conuiuia Conuiuia, cùm honeſtè poterat, declinabat; imitatus S. Chryſoſtomum, qui cùm ob incredibilem abſtinentiam ægrè poſſet cibos capere vel conficere, ne conuiuis moleſtior eſſet eius temperantia, vitabat. At ſi ſubterfugere non liceret, tantùm ad Veſperarum vſque tempus (quod clepſydrâ ſecum frequenter apportatâ explorare viſus) accumbebat, facetus, iucundus, ſimulq; pius inter epulas; vtilitatis ſemper ſpiritualis captandæ memor; tum miſſionem poſtulabat: nam intempeſtiua conuiuia in multas horas vel noctem prorſus abhorrebat; temporis enim illius iacturam inæſtimabilem rebatur. Frugalem amicorum vel Religioſorum menſam vtilitatis & honeſtæ recreationis gratiâ non inuitus adibat, vbi ſuus ſtaret temperantiæ locus, & animus docto pioq; colloquio magis quàm epulis paſcebatur. In hoc fœlices prædicabat Religioſos, apud quos ſtudia florerent, quòd à refectione corporis remittere liceret contentionem ſtudiorum
eru-

erudito colloquio, quo plus sæpe proficit ingenium aliorum expeditis in quauis facultate & re dubia responsis, quàm multarum horarum priuata lectione. Addam, quæ familiarissimus eius in elogio de eo scribit: *Omne propè tempus, etiam quod curando corpori destinatum est, aut lectioni, aut studio rerum spiritualium impendebat: maximæ eius delitiæ erant libri spirituales & SS. Patrum volumina, quibus identidem immorabatur, & imbecillo semper corpore & ægra valetudine, quod de S. Gregorio traditum est, immoriebatur: neque ijs delectabatur solùm, sed & pascebatur magis, quàm propositis in mensa cibis, vt moriens cum Socrate disceret, comedens & bibens cum S. Hieronymo Dei iudicia volueret: vereq; vsurpare illud Ioannis cap. 4. posset: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Hæc ille. Ita seruabat præceptum Sapientis: *Fili, conserua tempus, & deuita à malo, non defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat.* Eccl. 14.

* *
*

CA-

CAPVT XXIV.

Cura Domesticorum & Fratrum.

Familiares & domestici eius

MVltis & præcipuis curæ Pastoralis annis familiam non aluit, ne curâ rerum temporalium nimium temporis studijs detraheretur. Itaque cum fratre solo qui eidem ab obsequijs erat, domum habitabat Pastoralem; cibi verò vicina in domo viduæ parati tempore refectionis per sororem viduæ famulanti inferebantur. Fratrem ad Gymnasium trium Coronarum eo destinauit anno, quo Parochiam admisit, ei Religionem ingresso successit alter, & huic sororis filius. Postea cùm sororem asciuisset in familiam, mortua vidua cui famulabatur, pauperem etiam studiosum ferè aluit; omnes verò domesticos sibi cupiebat quàm simillimos, vitæ integritate, morum maturitate, & animi perturbationum victoriâ; quod licet in teneris impetratu difficile, obtinuit tamen continuâ vigilantiâ assiduisq; monitis: sic verò fratres instituit ad omnem virtutem, vt prior decurso Philosophiæ studio, Societatem IESV, posterior Carthusianum Ordinem comple-

Fratres duo.

Cura eorum.

Cōplectūtur statum religiosum.

plecteretur, & hoc minorem vterque difficultatem in vitæ religiosæ tyrocinio experiretur, quod ei multis annis sub arctissima disciplina domi prælusissent; eosdem iam Nouitios crebris ad eos datis literis ad perseuerantiam in sancto instituto est cohortatus; ijsdem affatim librorum vtilissimorum submittebat, quibus spiritum acuerent, & munia sua congruenter vocationi & decenter obirent. Ita Coloniensem, Confluentinam, Embricensem & Monasterio-Eiffliacam Bibliothecas Societatis IESV, fratris causâ, multis instruxit libris, vbi morari compererat Patrem Philippum germanum suum. Is etiam de Iacobo hoc testatur literis: *Religiosus extra Religionem vixisse visus est multis; paupertatis perquam studiosus, vt ad rem familiarem propè nimiùm quàm par erat, attentus videri potuisset; sed eo fine, vt in egenos & ornatum templi posset esse liberalior. De vitæ innocentia & integritate loquuntur crebra ieiunia, rara & admiranda potiùs quàm imitanda temperantia, cuius fines in nullis vnquam conuiuijs, quæ aut vitabat, aut tempestiuè deserebat, ipsum transgressum esse animaduerti octo ipsis annis, quibus cum eo vixi. Omnes boni Pastoris* *nu-*

Testimonium P. Philippi de Iacobo fratre.

numeros expleuit, nullam diem abire passus, quin rem diuinam faceret, etiam si iter facere contingeret. hæc ille. Domesticos vesperi certum in locum colligebat, ibi Litaniæ cum varijs precibus publicè ipso præeunte dicebantur, & examen conscientiæ instituebatur, Dominicis & Festis diebus Euangelium diei congruum vernaculo sermone legebatur. Denique domus instar religiosissimę familię composita, nullus vt strepitus, fabulæ, risus, vel leuitas audiretur; etiam cùm exulum familiam cum iumentis admisisset, præter laborantium strepitum, altum vbique vigebat silentium.

Litania vespertina.

CAPVT XXV.

Oeconomica viuendi ratio, & prouentuum administratio similis religiosæ paupertati.

VT verisimilior sit ea multorum Theologorum sententia, Clericos omnium prouentuum suorum esse Dominos, & posse saltem validè de ijs vt suis rebus disponere; Iacobus tamen in praxi tutiorem sibi statuit obseruandam, Christi secutus hoc consilium: *Quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt* vo-

Luc. 11.

vobis. Beneficium habuit pertenue, sed alendo viro paucis & vilibus contento sufficiens, imò redundans, cibus eius parcissimus, obuius & parabilis, vestis congrua statui sine sordibus & ornatu, nam vtrunque fugiebat. Supellex domûs munda, vulgaris, non exquisita vel curiosa: picturæ per domum, cubicula, ianuas, & alia loca distributæ piæ, sacræ, de vita & passione Dominica, (quæ tam parietes omnes cubiculi, quo recipiebat & audiebat hospites, quàm lecti totam interiorẽ spondam vestiebant) vel Deiparæ & Sanctorum; nec artificiosè vel oleagino colore pictæ, sed in charta rudi opere elaboratę, quę pietatem prolicerent, non oculos pascerent, eæ passim incurrebãt per domum in oculos, & pias intuentib. ingerebant cogitationes: at quidquid reliquum, in res pias & vtiles profundebat, certa tamen dispensatione ac distributione facta, vt primò merces operis & debita quotannis soluerentur; & benemeritis gratia vel remuneratio haberetur, pars Ecclesiæ, pars pauperibus cederet. Inibat secum ipse rationes dati & expensi sub finem anni cuiusuis, Bellarmini Cardinalis exemplum imitatus:

Cibus. *Vestis.* *Supellex.* *Rationes init quotannis.*

operæpretium erit ideam ex libro rationum eius ad finem anni 1631. confectarum excerpere, quas Clerici possint quotannis æmulari.

ANNI M.DC.XXXI. RATIONES IN FINE DECEMBRIS INITÆ.

Ad maiorem Dei gloriam.

ANno 1631. exeunte, siue in fine Decembris, Ego Iacobus Merlo-Horstius, pro more meo iam ab annis aliquot obseruato, computaui, persolui, & liquidaui omnia debita mea cum omnibus & singulis, ita vt iam nulli debitor sim, nisi Deo & benefactoribus. Et quamuis annis præterlapsis multa impenderim in ornatum & reparationem Ecclesiæ, non pauca in pauperes, peregrinos, studiosos, aliosq; afflictos & inopes pro modulo facultatum mearum erogauerim, adhæc curam rei œconomicæ sustinuerim, inueni tamen superesse mihi in parato (quæ benignißimi Dei liberalitas est & benedictio) quingentos triginta quatuor florenos circiter. Hoc igitur quantumcunque est, ad Dei honorem & proximorum subsidium, & salutem animæ meæ impendere cupiens, decreui tres ex residua ista pecunia facere portiones, & vnam quidem Ecclesiæ pro necessarijs vsibus

& or-

& ornamentis, alteram pauperibus, studiosis, Religiosis, Mendicantibus, peregrinis, &c. tertiam verò meis seu domûs & familiæ necessitatibus attribuere, idq́; singulis deinceps annis, quos mihi Deus pro sua clementissima prouidentia concessurus, certa & stabili lege obseruabo. Ita statuo & decerno ego Iacobus Merlo-Horstius Anno 1632. initio Ianuarij. Nimirum prouentus Ecclesiasticos vt administrator aliquis Religiosus, non Dominus distribuebat, ipse modicissimo contentus, maximam partem Deo pauperibusq́; secernebat, Christi consilio: *Quod superest, eleemosynam date.*

CAPVT XXVI.

Misericordia in pauperes, studiosos, Religiosos, exules.

APtè Iacobo congruit illud Psaltis regij viri misericordis elogium: *Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur; dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Mens viri misericordis semper hilaris, frons nullis calamitatum turbinibus obnubilata vel contra-

Psal. 111.

Misericordes sẽper læti.

cta, terra hiatu dehiſcat, aërq; fulguret, tonet, fulminet, in æternum non commouebitur, nec ſpe vel beatitate ſua excidet. An Chriſtum Iudicem metuat, quem pauit famelicum, veſtiuit nudum, hoſpitem domo recepit, cuius chirographum ſeruat: *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur?* Hâc erectus fiduciâ Iacobus, quidquid reliquum, Chriſto pauperibusque liberaliter eſt impertitus.

Non metuunt Chriſtũ Iudicem.

In quatuor ipſe capite ſuperiore claſſes eos diſtribuit, 1. vulgarium pauperum erat, 2. ſtudioſorum, 3. Religioſorum, 4. exulum. Singularum exempla pauca colligo de multis.

Pauperũ vulgariũ cura.

Statas egenis dabat eleemoſynas, ſeparatam domi ſeruabat arcam, quam gazophylacium pauperum nominabat, in eam mittebat, quoties egenis aliq d applicaret, in eandẽ annuè tertiam prouentuum aut pecuniarum partem conijciebat, & largê quibuſdam indigis erogabat. Cùm viam Romanam obiret, vt attentiùs oraret, per fratrem aut ſororis filium obuijs ſingulis ſtipem donabat. Viderat in Æde Principe puerum, ex cuius ore oculiſque decentibus indoles pręclara eluceret, eleemoſy-

Gazophylacium domi.

mosynas colligentem, de quo cùm olim sibi magna polliceretur, domum deducit, sciscitatur de parentibus, adhibet mensæ, promittitq; deinceps eidem indies prandium, quod ei multo tempore præbuit, donec vltrò puer emanere cœpit.

In studiosos verò profusus in vita & morte fuit, eorum enim plerosque sperabat Clero vel Familijs Religiosis adscribendos, magnoq; futuros Ecclesiæ tam ornamento quàm emolumento, hos cùm aleret familiam, indies ferè conuiuas habebat, ita vt quidam statis hebdomadæ diebus, alij quotidie ferè mensæ adhiberentur, & quandoque eodem die terni quaterni; miratus ipse nõ semel fuit, cùm opinione sua plures inuitasset ad frugale prandium, nihil tamen cuiquam defuisse. Initio morbi 12. pauperes & ferè studiosos pro se viam obire Romanã voluit, singulis quadrantẽ imperialis elargitus. Scripsit eosdẽ moriẽs bonorũ suorũ & bibliothecæ selectissimæ hæredes. Adiungã nõnulla, q̃ P. Adamus Casen hac super liberalitate adnotauit: *Quandoq; mihi in studiosos pauperes pecuniã aut pannũ distribuendũ mittebat, alios ad audiendũ Sacrum inuitabat, & quasi alieno titu-*

Cur ingentiores studiosos profusus.

adhibet mensæ.

titulo pecuniam singulis impertiebatur, aut si qui in studijs aut pietate præ cæteris commendarentur, pane, cibo, veste, alijsq; quibus opus erat, fouebat. Quibus colophonem addidit moriens, quando Gymnasij trium Coronarum pauperes studiosos ex asse scripsit hæredes. Ita cum Romanis apud Varronem fontem coronauit, ex quo sæpe prior hauserat, & ipse moriens meruit coronam iustitiæ, quam reddet iustus Iudex omnibus, qui diligunt aduentum eius.

Scribit hæredes.

Liberalitas in Religiosos.

Religiosis verò familijs partim esculentis & poculentis mittendis, partim donandis libris vel pecunia succurrebat; præsertim quos graui premi cognouerat necessitate. Compererat Cœnobium Sanctimonialium, in quo vigebat arctissima disciplina, ad extremam ferè redactum egestatem, misit eò continuò per Sacerdotem clam argenteam phialam, cùm aliud ad manum non haberet, & donauit opportunissimo tempore, quod munus Virgines vt cœlitus datum summo gaudio receperunt, ignaræ tamen cuius obuenisset largitione, vetuerat enim seuerè, ne se viuo res emanaret.

Sub finem anni 1631. cum Gustauus Sueciæ Rex capta Herbipoli, Moguntia, Wor-

Wormatia Rhenanis partibus ſuperioribus dominaretur, ingens exulum, pauperum, & religioſarum etiam Virginum Coloniam confluxit multitudo, complures rebus omnibus exuti, præter veſtes nihil admodum ferebant ſecum. Miſertus horum miſerias & extremam famem Iacobus liberaliter omnibus ſubuenit, quantum anguſtiæ rei familiaris paterentur: panes, caſeos, butyrum, carnes, piſcesq; prodegit, ratus accipere ſe dando beneficium, non tribuere: & verè beneficium dando potiùs accipiebat: qui fœnerabaturDomino, cùm miſereretur ſeruis.

Eo tempore ſtatim cognitâ eius in egentes munificentiâ quotidie domum eius obſedit ingens multitudo miſerorum, hos in atrium domûs inducebat, ibidem caniſtrum onerarat panibus, ſcutellam caſeo, tum ſingulis manibus ipſe ſuis magnâ beneuolentiâ & charitatis ſignificatione diſtribuebat, vt hac ratione ſæpe 60.80 vel centum etiam vna die paſceret, magis earum multitudine vel accurſu recreatus, quàm deterritus. Narrat eius tunc per nouem annos continuos familiaris

liaris & domesticus D. Wilhelmus Rôemer, nunquam à se visum egenum stipem flagitantem, quem indonatum à se, vel tristem dimiserit, eidem dicere solitus, cùm plures aduolarent: *Semper adhuc aliquid reperio, quod pauperibus largiar:* vt non immeritò admodum R. D. Matth. Hoën Rector Magnificus tunc Vniuersitatis Coloniensis, Decanus S. Andreæ, pro concione paulò post mortem Parœcis suis exemplum liberalitatis in egenos, vt vrbe tota peruulgatum, proposuerit imitandum.

Eodem tempore Sanctimoniales, Regulæ S. Claræ, Moguntiâ Coloniam descenderant, & ægrè vitam ob defectum rerum necessariarum tolerabant: quo comperto Iacobus liberaliter omni septimanâ panes, caseos, pisces, & eius generis esculenta submisit, hoc profusior in Religiosas Virgines, quo vita earum Christi moribus conformior: & ita se non homines, sed in ijs pascere Christum arbitrabatur. Solebat præterea die Iouis Sancto duodecim studiosos domum suam inuitare, quos mensæ adhibitos lautis excipiebat

epu-

epulis, exemplo Christi, cibos ipsis & potum, omniaque necessaria manibus suis ministrando: tum eleemosynâ largâ donatos à se dimittebat.

Viderat prope Metropolitani Templi limina iacentem pauperem natione Gallum ægrò corpore: sic enim scabies corpus & faciem obtexerat, vt leproso similis vix hominis referret speciem: miseratione tactus Iacobus, ita prouolutum humi, & ob brumale frigus rigentem & trementem corpore, sustulit è terra, manibusque domum suam deducit, inducit in musæum, suo imponit sedili, fornacem instruit, calore fouet, cibis & potu reficit, iucundis & pijs colloquijs solatur, ad patientiam exhortatur: tum eleemosynam non modicam eidem elargitus abs se dimisit. Vbi nunc molles, effœminati, delicatuli, qui viso leprosi, vlcerosi vel scabiosi vultu contremiscunt, fugiunt, vultum & oculos auertunt, nec oculis paululum humanam miseriam, cui obnoxij sumus omnes, intueri sustinent? videant istum huius Sacerdotis manibus leuari è terra:

manu prehensa duci, propria in sede locari, vultûs tam tetri magis aspectu, quàm comptulorum & cincinnatorum adolescentum specie delectari: isto pedore, illuuie & vermibus pauperis, quàm effœminatorum suauissimis odoribus vel suffimentis recreari. Hæc est vera sapientia suis res omnes momentis ad leges ęternas & diuinas ponderare: Christum in tali paupere pluris, quàm Regem in solio æstimare & venerari, qui disertis promisit verbis: *Quod vni ex minimis meis feceritis, mihi fecistis.*

Exules. Sed cùm miles hostilis barbara feritate patriam Coloniensem, Iuliacensem & Montensem Anno 1642. ferro flammaq́; depopulatus agricolas domibus & fortunis omnibus exturbaret, Claustra Monialium effringeret, & Virgines Deo dicatas eijceret, cùm iterum innumeræ familiæ rebus omnibus exutæ Coloniam velut ad asylum vnicum & perfugium extremum *Rusticos.* confugerent. Eodem Rusticus cum vxore, liberis, iumentis & pecoribus venerat, quo diuerteret, ignarus, casu fores Iacobi pulsauit: is misertus exulis suam cum omni familia pecoribusque recepit in domum,

mum, aptauit iumentis ſtabulum, proſpexit per hyemem de habitatione, & maiorem anni partem, omnes ferè de ſuo gratis ſuſtentauit, ac rudes officij ſui ſic breui tempore inſtituit ad pietatem, vt eâdem ciues etiam æquare vel ſuperare potiùs viderentur. Alteri ruſtico non ſolùm omnibus ſpoliato, ſed & diuturnâ captiuitate detento, in qua plurimi morbis, pedore & ſqualore moriebantur, cùm nemo miſero pecuniam commodaret, vt ad Iacobum confugit, promptè vim ſat magnam ei credidit, vt carcere ſolutus comparatis iumentis ad propria culturamq; agrorum redierit, is cùm anno euoluto cenſum pendere iam ægrotanti vellet, oblatis etiam muneris loco piſcibus, totum ei remiſit, piſces ſibi habere iuſſit, & inde aliorum amicitiam conciliare; ipſe potiùs eundem fractis licet viribus ſolari mœſtum, ſpe diuinæ prouidentiæ erigere, cibiſq; recreare. Deus, ne vinci liberalitate videretur, eâdem horâ Iacobum certiorem per amicum (qui interuênit, cùm afflictum leuaret ſolatio) fecit ſoluendam breui pẽſionem annuam tot annis deſperatam; quæ paucis poſt *Captiuos*

diebus, mediam partem est repræsentata. Inuitus eo tempore suscipiebat à Parochianis pro ornatu templi munera, qui parci videbantur in alendis pauperibus, nam SS. Augustini, Basilij & Ambrosij secutus consilium, arbitrabatur calices argenteos & vasa pretiosa potiùs esse distrahenda, quàm famelicorum viua Christi vasa vel membra cum animarum periculo defectu alimentorum interirent, pro quibus tamen seruandis Sanguinis sui pretium omnibus totius orbis thesauris nobilius sapientissimus Mercator Christus appendit. Sacerdotes quosdam exules & Pastores, exturbatos sedilibus statis in hebdomada diebus, inuitabat ad mensam, immò faciebat liberam potestatem, quoties egerent, vel ipsi vellent, redirent pro arbitrio.

Vendit supellectilẽ, & lectum

Cùm pecunia paulatim in ea communi annonæ caritate deficeret, supellectilem distrahere suam cœpit pro alendis Religiosis Virginibus nobilibus & ignobilibus, quæ maximo numero confluxerant Coloniam, rebus omnibus vitæ sustinendæ destitutæ; sed cùm nec ista sufficerent, lectum etiam proprium per Gertrudem

Wi-

Wichem, D. Ioannis Kinchij vxorem matronam in pauperes beneficentissimam, vendidit & egẽtibus distribuit, ipse strato deinceps vsus reliquâ vitâ & morbi tempore duriore. Monebatur ab amicis, cùm prouentus essent exigui, nec ijs tamen annis soluerentur, prospiceret familiæ suæ, prouideret vt aliquid senectuti vel aduersæ valetudini leuandæ superesset, respondere solitus est: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Familiari suo non semel dixit: Alij, dum moriuntur, legatis pijs subueniunt pauperibus, ego viuus ijs malo succurrere, certus de auxilio præstito miseris, securus meriti præmijque. Fundationes etiam vel anniuersaria sacra post obitum constituere noluit, metuebat enim ne sensim interirent, & fructus alijs rebus applicarentur: totum quod reliquum erat cum bibliotheca, pauperibus tribuit, quasi tam libros, quàm rem omnem familiarem, Ecclesiasticos prouentus & laborum stipendia ad vsum tantùm commodatò à Deo accepisset, non ad dĩtandos propinquos, sed ad Christi membra pauperesque reficiendos.

In vita benefaciendum.

CAPVT XXVII.

Inuicta in morbis acutißimis patientia.

Tob. 12. MOnebat Raphaël Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te: omne igitur quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, &* Eccl. 2. *in humilitate patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Morbos quasi donum & amoris pignus à Patre amantissimo missum cum grati animi significatione recipiebat, & velut particulam Crucis Dominicæ oblatam exosculabatur. *Corpus imbecille* Corpus naturâ debile, ieiunijs, vigilijs, laboribus & verberationibus extenuatum, exhaustum & eneruatum morborum ilias inuasit, *fractum morbis.* & acutissimis quidem doloribus dentium sæpe torquebatur, nonnunquam colicis, *Calculi doloribus* sæpissimè calculi grauissimis aculeis lancinabatur, nec gemitum quidem, vix alijs tolerabiles cruciatus exprimebant: quid gemitum dico? vox animi constantis & excelsa nonnunquam ab alijs audita est: *optat maiores.* *Adde, Domine, dolores, auge patientiam.* Portenti simile fuit, aliquoties eum lapillos qui pisorum magni-

gnitudinem, imò fabarum longitudinem æquarent, ſine ſtudiorum intermiſſione velut indolenter excernere; nec ideo lecto decumbere, fomenta, balnea, vel alia corporis leuamenta ſectari cum ſtupore Medicorum; horum tamen quoties opus adhibebat operam, nec vſum pharmacorum ſuo tempore negligebat: vnde corporis ægri leuandi gratiâ nullis parcebat ſumptibus, quoties neceſſitas ſuaderet; at ſi vis mali curam ſuperaret, in diuinę prouidentiæ brachijs & vulneribus Saluatoris ſuauiſſimè quieſcebat: hic in aduerſis omnibus aſylum quærebat, & refugium paratum reperiebat: vt quàm moderatus erat in proſperis, tam lætus & ſecurus Deo fretus eſſet in morbis & aduerſis omnibus, recolens verſiculum Pſaltis regij: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.*

CAPVT XXVIII.

Curam Sanctimonialium in S. Vincentio ſuſcipit cum inſigni fructu Cœnobij, delicatos cibos in morbis etiam refugit, & ad noſocomia mittit.

CVræ Paſtorali curam adiecit aliam, non

non quæ reditibus amplis augeret opes, vel præberet delicias, sed quæ cum insigni molestaque occupatione, perficiendi in spiritu proximi desiderium expleret sine vllo emolumento temporali. Decennium enim circiter Monasterium S. Vincentij Virginum velatarum fructu maximo rexit & excoluit, votorum & regularum Ordinis accuratissimam obseruationem, rigidam clausuræ, vt vocant, custodiam, templi ornatum eximium, cantum Ecclesiasticum pium, tardumq; diligenter curauit: cauit nimiam cum sæcularibus & viris familiaritatem, ad pios & vtiles labores manuum eas exhortatus: sanè nullo ferè in totius ciuitatis Cœnobio tam eleganter opere Phrygio elaborantur vestes sacræ, vela, altarium pallia: quo ferè labore Virgines victitant, nihil tamen diuinorum officiorum negligitur. Porrò vt sacri Concilij Tridentini decretum seruaretur, non ter tantùm, sed sæpiùs etiam faciebat Virginibus potestatem alijs præsertim Societatis Iesu Patribus confitendi. Exhortabatur eas frequenter ad omnem perfectionem; vel in hoc, cùm per occupationes non liceret,

ceret, dictis Patribus vices ſuas delegabat.

Subijciam modum, quem in Concionibus habendis vſurpauit.

METHODVS PRÆPARATIONIS ad prædicandum fructuosè Verbum Dei.

Meditatio Concioni præmittenda.

I. COnſidera, ad quàm præcelſum opus ſis vocatus, ſcilicet vt ſis Chriſti Legatus ad Fideles eius, dicente Apoſtolo Paulo: a *Legatione pro Chriſto fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*, a 2. Cor. 5 ita vt lingua mortalis fiat oraculum Sancti Spiritûs, organum Diuinæ vocis; immò, vt ſis Pater quidam Spiritualis ad gignendos Chriſto per Euangelium Filios, vt Paulus de ſeipſo affirmat: *In Chriſto per Euangelium ego vos genui* b. Quod of- b 1. Cor. 4 ficium, cùm Chriſtus omnium primus fœcundiſſimè, cùm in terris prædicaret, obierit, eius partem tibi voluit communicare, vt Vicario ſuo, in re tanta, quanta eſt mortuos peccato homines ad vitam ſpiritualem, & dignitatem filiorum Dei reuocare.

II. Por-

II. Porrò idoneum esse Ministrum ad animarum conuersionem procurandam id prorsus superat vires humanæ naturæ. Ideo nec Eloquentiæ tuæ, nec Doctrinæ & Prudentiæ, sed Dei Gratiæ confide, cuius est lumen menti Concionatoris infundere, quod ad tam sublime munus requiritur. Hinc Gentium Doctor, *Sufficientia*, inquit, *nostra ex Deo est, qui & idoneos Ministros nos fecit noui Testamenti*, a *non litera, sed spiritu*. Concionem itaque meditaturiens, sic labora & stude, vt superflua sollicitudine abiecta, ad ipsum Fontem Sapientiæ recurras, animum tuum expandens ac præparans, vt suâ illum Deus gratiâ illuminet; & simul rogans, vt ipse mentem & linguam impellere & moderari velit, vbi ad rem ventum, ad Concionatoris munus ritè legitimèque obeundum.

a 2. Cor. 3

III. Cumq; ad gloriam Diuinam prædicandam sis electus, humanæ existimationis atque commendationis studium omnino abijcies, Christum dictis & factis imitando, qui non suam, sed Dei Patris gloriam solertissimè quærebat.

IV. Sit insuper in animo tuo ardentis-

simus

ſſimus erga eos, quos Chriſto gignis, affe-
ctus; ita vt quemadmodum mortales parentes nullum recuſant laborem in liberis educandis, ornandis, locupletandis, eorumq; malis & miſerijs non ſecus condolent ac ſuis: ita tu intimis angaris ſenſibus, ſi quem videris in peccatum & Diaboli laqueos relabi, atque ita in alijs iuuandis, haud ſine incommodo tuo, nunquam defatigaberis.

V. Quinetiam imitare Apoſtolos, qui vt ſe idoneos redderent in prædicando Euangelio Miniſtros, ex Domini præcepto ſeſe abdiderunt in Domum, ibique in oratione ardentiſſimè perſiſtentes, Diuini Spiritûs igne ſuccenſi, paulò pòſt vniuerſarum terrarum orbem, prædicatione ſua inflammarunt: ſic tu ad Deum confugias, oportet, vt in meditatione tua diuinus ille ignis exardeſcat, quo Auditores tuos incendas: a *Pete ergo à Deo, vt verbis tuis pondus addat, ac ſine dubio, ſi bene poſtulaueris, in fide nihil hæſitans,* b *Dominus dabit Euangelizanti tibi verbum virtute multa.*

a *Pſal. 38*
b *Pſal. 67*

VI. Magni vtique apud Concionatorem momenti eſt, ab omni cupiditate

pur-

purgatum esse, vt verè de illo dicatur:
a Psal.10. a *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona*: Ferendæ item molestiæ, quæ ob prędicationem veritatis incurrendę, vt Christo Concionatorum Archetypo similis efficiaris, & augeas meritum ac mercedem tuam in cœlo.

VII. Dum porrò operam nauas aliorum profectui, ne teipsum lædas, tui obliuiscaris, ne audias: *Peccatori autem*
b Psal.49 *dixit Deus*, b *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum?* Imiteris ergo exemplum Christi, qui priùs cœpit fa-
c Act.1. cere, ac deinde docere *c*. Atque ita se gerat Concionator, vt, veluti S. Bernardus ait, non sint canales, qui nil sibi retinent aquę, sed transmittunt vniuersum: quin potiùs, veluti Conchæ, ex quibus affluentia, sine vllo ipsorum detrimento, ad alios redundat.

VIII. Fugito demum nimium ornatum, & operosam humani laboris industriam, in verbis ac sententijs, sed in Apostolico
d 1.Cor.2 spiritu, *d* non ponens vim in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in o-
sten-

ſtenſione ſpiritûs & virtutis: Neque aures audientium blando verborum ſono permulcere, ſed corda penetrare ſatage, Prophetam Eſaiam audiens, te monentem: *Loquimini ad cor Hieruſalem.*

ORATIO ANTE CONCIONEM immediatè dicenda.

Præmiſſo Hymno: Veni Creator &c.

DIgnus es, Domine, accipere omnem gloriam & honorem, vtinam omnes ad te Creatorem tuum conuertam! Eia, Domine, video, vt infiniti pereant, tuo ſanguine & laboribus empti: & nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum: Quid ergo pollutis labiјs & corde ego præſtare potero ſine te? Da mihi itaque gratiam ad hoc, ad quod vocaſti me, & adſint mihi Angeli tui, vt ad tuam vnius gloriam ritè fiant vniuerſa. Amen.

Alia Oratio.

O Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, tanquam à perenni fonte, puteoq; aquarum viuentium, copiosè dimanat; reſpice de ſolio Maieſtatis tuæ, ſuper me indignum famulum

mulum tuum, quem inter alia dona tua, ad concionandi munus vocare dignatus es: largire mihi Spiritum ſapientiæ & intellectûs, qui mentem meam verbo tuo illuſtret, memoriam ad retinenda eloquia tua roboret, & linguam ad virtuosè & cum energia pronunciandum moderetur, & quæ ad Nominis tui gloriam & eorum qui me hodie audituri conueniunt, ſalutem dicturus ſum, ferventi ſpiritu proferam, ne aures tantùm inani verborum ſtrepitu feriant, ſed corda inimicorum Regis, velut acutiſſimæ ſagittæ penetrent, & fructum optatiſſimum reportent.

Ecce, Domine Deus meus, hæc mea eſt intentio: Docebo iniquos vias tuas, & impij
a Pſal. 50 ad te conuertentur *a.* Non mihi, Do-
mine, non mihi, ſed Nomini tuo da glo-
b Pſal 113 riam *b.* *Diſpelle à me omnem philautiæ &*
cenodoxiæ ſpiritum, vt præter te nihil aliud quæram: Et dum alijs prædico, ne reprobus ef-
c 1. Cor. 9 *ficiar* c, *fac vt quod auditores meos doceo, viuis operibus ad eorum exemplum & imitationem ritè exprimam & efformem. Quid enim proderit mihi, ſi vniuerſum mundum lucrer,*
d Matt 16 *animæ verò meæ detrimentum patiar* d? *Abſit, ô Domine Deus meus, abſit, vt ea proferam, quæ ſeruare contemnam; abſit, ne meam ſic ve-*

veritas moueat linguam, vt vitam feriat: absit, vt verbis mihi ipsi iudex & factis accusator euadam; sed da, vt fortiùs opere doceam, quàm verbo, ne cœleste pabulum culpâ meâ vitiatum ouibus tuis sine omni profectu frustra proponatur.

Domine Iesu, & me & auditores meos, sanctorum nobis aßistentium Angelorum manibus in sacratißimi Cordis tui benedicti Vulnere colloco & repono, vbi ab inimico Verbi tui fructum gnauiter impedituriente, tuti & securi degamus, vbi velut in cœlestis Sapientiæ tuæ Gymnasio in eloquijs tuis sufficienter instruamur, tibiq; deinceps fidelißimè seruientes, ad æterna Beatorum consortia, post hanc vitam dignè recipiamur, à te Saluatore & Iudice nostro, qui cum Patre & Spiritu Sancto es benedictus in sæcula, Amen.

POST CONCIONEM.

COmmendabis Auditores tuos denuò Christo Saluatori, vt semen Verbi eius à te iactum in cordibus fidelium fructum multum adferre iubeat. Nam neque qui rigat, est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Item commenda illos Angelis suis cu-

custodibus, vt identidem segnes exstimulent ad faciendum ea quæ didicerunt, & inimicum prohibeant, ne superseminet zizania, aut bonum semen eradat.

ORATIO.

TVa nos, quæsumus Domine, gratia semper præueniat & subsequatur, & bonis operibus iugiter præstet esse intentos.

Largire nobis, quæsumus Domine, semper Spiritum cogitandi, quæ recta sunt, propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundùm te viuere valeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat, in vnitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Scripsit deinde breue compendium eorum omnium, quæ seruatu maximè necessaria sunt Monialibus, & quibus diligenter reipsa præstitis facili methodo possint ad summam perfectionem adspirare: sunt ea valde perfectionis cupidis in eo statu vtilia: quæ ideo ad calcem libri Latio donata reieci, ne narrationis filum interrumpam.

Accidit verò frequenter, vt grauibus acutisque morbis Iacobus affligeretur. Vir-

Virgines, vt ei quo possent modo suum gratificandi studium declararent, cibos delicatos, exquisitis condimentis apparatos ægro transmittebant: quibus ille inspectis, ridenti vultu familiaribus adstantibus, vt se magis vinceret, dicere solebat: *Næ illi cibi lautißimi videntur: delicatè parati, conditi optimè: facerent vtique ad gustum, & stomachum meum: sed heus VVilhelme*, is dum ei ab obsequijs erat, *ad nosocomium propera: reperies sat multos, qui magis quàm ego talibus delicijs indigent: mihi vulgaris & parabilis adhuc cibus sapit.* Ita nec tactu vel gustatu dignatus lautiora fercula, domo abesse voluit. Solenne hoc illi erat, cùm ab amicis etiam vel Parœcis epulæ conquisitæ mitterentur, plerumque ad ægrum quendam, qui in vico Catzenbuch appellato nouem annis affixus lecto decumbebat, vel ad hospitalia destinare.

Sub idem ferè tempus festo Circumcisionis Domini reuersus, post labores maximos domi pessimè habere cœpit, & varijs iactari, lancinariq; doloribus, vt mortuo quàm viuo similior videretur, & sudor è corpore præsertim è vul-

tu manaret vberrimus: depositus ad ignem sex ipsas horas quasi cum morte colluctari videbatur, Medico protinus vocato: sed qui parum leniret tantos doloris aculeos: elapsis sex horis cùm paululùm remitteret inclementia morbi, gaudere visus est, & ridente facie conuersus ad adstantes, ait: *Quàm bonus est Dominus: ecce quàm hoc die mihi pretiosam strenam offerre dignatus est, vt particeps fierem doloris, quem nostrâ causâ pertulit*: Interim nullum vel gemitum, vel animi impatientis leuissimum tota ægrotatione signum edidit: immò summis in beneficijs habuit, Circumciso Domino compati: nam *si compatimur, & conregnabimus.*

CAPVT XXIX.

Egregia documenta, quæ familiari sacris initiando dedit, & varia eius præclara facta & dicta.

DEbetur hoc Caput & præcedens R. D. Wilhelmo Röemer Virsensi, Vicario B. Virginis Dolorosæ in Scheibbahn

bahn, inferioris Diœcesis Coloniensis: hunc D. Iacobus, cùm Philippus germanus eius Societatis Iesu tyrocinium adijsset, puerum bonâ parentum veniâ Coloniam An. 1629. euocatum nouem continuis annis domi suæ nutriuit, in studijs fouit & educauit, donec emenso cursu Philosophico paulatim ad sacros recipiendos Ordines aptus euaderet. Is lectâ eius vitâ, non solùm eam suo calculo confirmauit; sed complura desiderauit in ea, quæ litteris consignauit, vt insererentur: eorum pleraque P. Florentius Carthusianus frater suo testimonio comprobauit, qui eodem ferè tempore domum Pastoralem incoluit.

Putat D. Wilhelmus Iacobum & innocentiam & castitatem illibatā conseruasse: argumento ei fuit, quòd ita horruerit leuiora peccata, puta mendacium, vt sæpe cùm alios mendacij conuictos corriperet, asseueratè diceret: *nunquam se auunculo, nunquam vlli Præceptorum imposuisse, nunquam admissi in vita mendacij recordari*: itaque domesticos omnes cupiebat à mendacijs quàm maximè abhorrere, dicere solitus, *Confitenti ingenuè culpam,*

pam, libenter ignoſco, negantem & mentientem ferre prorſus nequeo: In adoleſcente nihil ita deteſtor, vt mendacium. Præterea domeſticos ad pietatem cùm excitaret, ſæpe repetebat: *Studioſum pium & indoctum longè pluris facio & diligo, quàm doctum & impium.*

Cùm Aſpricollenſem peregrinationem circa Annum 1637. vel ſequentem obiret, vſus eſt hoc ipſo Wilhelmo comite, qui tria notauit memoriâ digna: primò quoties tranſibat vel intrabat pagum vel alium locum, Eccleſiam petebat, & Chriſtum in auguſtiſſimo Sacramento venerabatur: deinde nunquam in itinere neglexit ſacrificium Miſſæ, ſuperatis omnibus occurrentibus impedimentis, licet aliquando totam horam à via Sacri legendi gratiâ deflectendum eſſet: tertiò delapſum è curru caſu Breuiarium erat & amiſſum, ſub veſperum id primùm aduertit: ilicò Wilhelmum ad domum Paſtoris vicini miſit, vt aliud commodatò acciperet: ſed Curio tunc aberat domo, nec ancilla ſubminiſtrare poterat: quo comperto vehementer doluit: nec triſtitiam celare vultu vel verbis potuit; dicebat enim:

Heu

Heu diem hodiernum perdidi, quo non licet integrum pensum horarium persoluere: primùm hoc mihi in omni vita contigit, confido & vltimum fore. Compensauit deinde multis alijs precibus hunc inculpatum etiam defectum.

Idem testatur, nec morbi tempore, cùm niti pedibus potuit, à Sacro faciendo abstinuisse: sed foribus clausis solo præsente ministro factitasse, ne vllo se die tam vberi fonte gratiæ spoliaret; vt melius Angelicam seruaret castitatem, ac indies biberet *Vinum germinans Virgines*: virginitatis etiam amore, nullius vtebatur mulieris familiaritate, nullam in cubile suum admittebat, præfixâ ei hâc epigraphe: *Mulierum pedes huc non intranto*: lectum sibi ipsi sternere solitus erat. Sobrietatem vehementer amauit, vilibus & paucis contentus cibis, horrebat vt pestem ebrietatem: ideo è conuiuijs, quando per honestatem & inuitantium auctoritatem abesse non licebat, maturè se subducebat. Contigit aliquando, cùm ad secundum missum poculis certare præsentes occiperent, ipse Wilhelmo monito, qui aderat: *Heus*, ait, *arripe pallium, fugia-*

giamus hinc. Nec tunc quidem salutato hospite inde se proripuit, malebat enim inciuilitatis argui, quàm sobrietatis minimam iacturam facere. Eundem D. Wilhelmum iam initiatum Sacerdotio documentis saluberrimis instituit, vt tali statui congruentem vitam degeret.

Principio monebat, vt indies Sacerdotalis Ordinis dignitatem, finem, obligationemq; diligenter expenderet.

2. Vt, quæ muneris impositi magnitudo requirit, seruaret accuratè.

3. Sciret creatum se, vt soli Deo seruiret, caueret igitur sedulò, ne diuinam Maiestatem vnquam peccato grauiore offenderet.

3. Sic vitam institueret, vt quotidie dignè Sacris operaretur: nec ab ea pia consuetudine deduci se vnquam pateretur.

4. Caueret sacrum Missæ officium obiter & perfunctoriè dicere: vitaret in eo tam nimiam celeritatem, quàm tarditatem, modum seruaret propriæ pietati, & acceptæ instructioni à se congruum.

6. Horarum recitationem nunquam negligeret, in ea tædium fastidiumq; vitaret, sciretq; ob earum omissionem viros

tos magnæ dignitatis ſtatim in enormia prolapſos eſſe ſcelera : crederet ſibi experto quibuſdam ſibi notis vnicam fuiſſe ad ruinam viam officij diuini neglectionem.

7. Scopulum Eccleſiaſticorum ebrietatem fugeret, ſectaretur ſobrietatem.

8. Mulierum conſortia ſollicitè deuitaret : nec in familiam ſuam vllam, niſi fortè ſororem adſciſceret : id ſi fieri nequiret, ſuadebat ſolus vt habitaret.

9. Pauperibus pro viribus conaretur ſubuenire ; alios etiam, quibus poſſet modis, ad eleemoſynæ largitionem inuitaret.

10. Ante Sacrum diligenter examinaret conſcientiam : illud ſummoperè cauendo, ne peccati mortalis reus diuina tractaret myſteria, vitaret illiberalem & mercenarium animum eorum, qui ſordidi quæſtus gratia, ſolo inuitati ſtipendio tremenda Sacra peragunt : fugeret etiam eorum morem, quorum nimiam deplorabat multitudinem, qui nulla præuia animi præparatione, ſola conſuetudine ducti, Sacrum legunt : quin potiùs antè, quid acturus eſſet, expenderet ſedulò : tum ageret, quod agit.

11. Sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam quotidie pręcipuo affectu ac pietate coleret, eiusdem laudes ac præconia, quoties posset, prędicaret, captaret occasionem alios ad cultum Deiparæ inflammandi, & in ritu ac modo colendi diligenter instrueret.

12. Detestaretur auaritiam, & nimiam habendi cupiditatem: seruaret Scripturæ monitum: *Beatius est dare, quàm accipere.*

13. Denique iubebat eum his similia colligere & adnotare, quæ vtilia & necessaria viderentur ad Sacerdotalem statum iuxta scopum & obligationem eius piè dignèq; transigendum.

Hisce monitis pium formabat Sacerdotem, quæ magis è spiritu suo & propriâ viuendi ratione ac experientiâ, quàm libris hauriebat: nec desinebat alios, quos poterat, ad viuendum statui suo conuenienter excitare: proprium enim est virorum Dei amantium, non propriâ perfectione contentos esse, nisi alios etiam ad amorem Dei salutisq; curam pellexerint. Et sanè, si *vnicuique Deus mandauit de proximo suo*, quanto magis de familiari-

bus

bus & domesticis suis? *Si quis autem*, ait Apostolus, *suorum & maximè domestico-rum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Itaque sicut fratres ad statum Religiosum, sic hunc familiarem suum annis nouem ad Ecclesiasticum statum imbuit. 1. Ti. 5. 8.

CAPVT XXX.

Lucta cum Dæmone diuturna & victrix.

VT coronaret Patriarcham Iacobum Deus, & nomen Israëlis imponeret, *certamen forte dedit, vt vinceret*, non occumberet; luctatus enim cum Angelo vicit, & gratiâ cœlesti copiosiore donatus, deinceps nec Fratris iram, nec hominis pertimuit potentiam. Ita diuina maiestas etiam *forte certamen* cum Dæmone Iacobo nostro permisit, *vt vinceret*, & deinceps Deo nixus, nullam in Dei causâ metueret, hominis cuiusuis excellentiam. Non poterat humani generis hostis iratissimus ferre fructum, quem in lucrandis animabus, & è seruitute Diabolica vindicandis Iacobus proferebat: ita sagarum operâ maleficium illi sæpiùs intentauit, quod diuina clementia sic auertit qui-

dem, vt tamen permitteret virtutis exercendæ gratia Dæmoni potestatem, vt tergum vigilantis & sentientis (quod Confessario nonnunquam retulit) assiliret, & quasi calcibus premeret; sic vt dolore non modico fatigaret, idque non domi tantùm, sed etiam alibi in templo, vel cùm Sacris operaretur: quamuis non expauesceret animo: sed leonina fortitudine diuino fretus auxilio, ridere solitus paulatim sit imbellis belluæ truces minas, vrgere cum S. Antonio pergeret, tantùm sæuire dentibus, ferocire calcibus, quantum Deus annueret, promptum ad vulnera dorsum offerebat. Et maleficarum quidem cogitatas & structas insidias Dæmon sacris carminibus adiuratus confessus est; vt ipse his verbis adnotauit: *Anno 1627. 8. Februarij adfui energumenæ Magdalenæ vbi ex confeßione Dæmonis intellexi, me quoque peti artibus malignis sagarum, & aliquoties mihi intentatum maleficium à quadam postea de crimine magiæ conuicta plurimis indicijs, & publicè combusta. Sed Deo semper ipsius conatus irritante, pro quo sit ipse benedictus in sæculum, sensi quidem ego longo tempore durante exorcisatione molestum & in-*

& infestum mihi Dæmonem: sed in ipso loco exorcizationis, & sub exorcismis tantùm. Sed eidem molestiæ alibi quoque postmodum obnoxius esse cœpi, primùm quidem in templo; deinde quoque domi meæ, primùm quidem 28. Ianuarij sensi me tentari insidijs Dæmonis sub vespertinis precibus, à quo tempore hucusque nullus dies cessit immunis ab illis vexationibus externis, partim sub sacro Missæ officio partim ante Reliquias SS. Regum, maximè verò sub nocte. Diabolus quidem die octauo Februarij confessus est, vt suprà ex pacto Sagæ, Dæmonem in me immittendum fuisse: sed Deum obstitisse, hoc tamen permisisse, vt aliquamdiu tentarer. O quàm bonus & fidelis Deus, qui non patitur hominem tentari supra id, quod potest, sed facit etiam cum tentatione prouentum. Vt verò se meliùs contra tantas hostis tartarei insidias communiret, illam castrorum aciem ordinatam Dei Genitricem Mariam voto peculiari delegit huius belli Ducem, & eius rei gratiâ ne tali in prælio succumberet, Aspricollensem vouit peregrinationem, vt ipse litteris consignauit: *5. Februarij feci votum Deo & B. Virgini Patronæ nostræ de instituenda pere-*

Vouet peregrinationē Aspricollensem

peregrinatione ad templum & locum D. Virgini sacrum in Monte acuto, prima occasione, qua id per vires, & Parochiæ curam, & viæ opportunitatem licebit, vtinam Deus per Beatissimam Matrem suam conterat etiamnum caput Serpentis antiqui, ne suis insidijs aut mihi, aut vlli Christiano perniciem seu corporis seu animi adferat.

Circa Annum 1637. vel sequentem votiuam fœliciter confecit peregrinationem, & in reditu Marcoduri secessu octiduano mentem exercitijs asceticis S. Ignatij diligenter expoliuit, factus ad pugnam vegetior & animosior, vt hostem vltrò lacesseret diuino Numine confirmatus, &c.

CAPVT XXXI.

Amor & fiducia in Deum, eiusq; cum diuina voluntate conformatio.

IAm à puero mentem à rerum creatarum amore traduxerat, ad Deum summum bonum suum medullitus complectendum: & quidquid illi Maiestati nouerat placere, statui suo conforme viriliter exequendum. Hinc vti castitatem voto consecrarat, ita paratus, vigilans, compositi-

Amor Dei

positus semper erat, ad Angelicam hanc virtutem amore Dei integram & inuiolatam contra quæuis carnis inuitamenta, vel Dæmonis insidias custodiendam, vt vno plenoq; alueo, cordis amor in Deum solum deflueret: huc omnia cogitata, desideria, verba, scripta & quæuis opera spectabant; huc recollectiones horariæ, preces studijs, & cuiuis operi præmissæ, tot adspirationes sub cantu diuinorum officiorum adhibitæ, vel inter studendum, vescendum, agendum cum proximis, familiares & vsitatæ referebantur, à quibus ignis amoris diuini continuò fouebatur: hinc pactum cum Deo quotidie sanciebat manè, quoties æris campani signum audiret, vel cœlum suspiceret, toties Deo se rursum consecrabat, & omnes actus virtutum heroicos manè elicitos renouabat. Et sanè parum ei videbatur, vno corde Deum amare: proximo cuique, cùm res & tempus ferret, de Deo diuinisq; rebus semper loquebatur, vt eorum pariter cordibus & linguis eundem diligeret, & laudibus exornaret: parum videbatur, præsentibus & vnius vrbis incolis loqui, nisi vulgatis libris orbi toti,

posterisque, venturis etiam sæculis idem prædicaret: vnde libri eius omnes hunc amoris diuini ardorem vbique insinuant, & legentibus inculcant.

Fiducia in arduis. Amor diuinus, Deiq; perspecta semper præsentia fiduciam generabat, quæ dum ardua Dei causâ suscipienda viderentur, diuino fretus auxilio fortiter aggrederetur, vrgeret constanter: nec desisteret antè, quàm ad exitum perduxisset, nec hic hominum offensam, iudicia, contemptumve verebatur, aut quidquam huiusmodi, vel vllius potentiam pertimescendam esse iudicabat: nam qui iam ipsis Dæmonibus fortior eos in certamen lacessebat, nihil humanum, vel creatum formidabat, experientiâ doctus à diuina prouidentia res suas paternè gubernari, ad virtutis augmentum & Dei gloriam auctiorem expertus; etiam quoties vires deficerent humanæ, præsens & diuinum auxilium subuenire, nihilque spe & summâ in Deum conceptâ fiduciâ potentiùs ad quiduis in Dei causa feliciter perficiendum.

Resignatio in aduersis. Quòd si tamen euentus aliquando falleret exspectationem, id etiam vt diui-

no Numini gratius libenter amplectebatur. Fructu carebat obiurgatio proximi, nec spes affulgebat emendationis, morborum acrimonia vim eludebat medicam, calamitatum tempestates magis magisque sæuiebant, his & similibus in euentibus re Domino Patronisque suis diligenter commendatâ, suam ad diuinam accommodabat voluntatem: id enim rectiùs & meliùs sibi, suisque rebus esse nouerat, quod licet proprijs aduersum desiderijs, æternis & diuinis magis decretis vel permissioni congrueret. Hinc animi perpetua constansque pax & lætitia, quam nullæ res humanæ conuellerent, idem semper vultus in prosperis & aduersis; nam perpensis omnibus in vna Dei voluntate & amore quasi centro placidissimè quiescebat.

CAPVT XXXII.

S. Bernardi Opera magno studio illustrat.

POst Deum, Deiparam Virginem Mariam, cuius honori dicatã Parochiam ad- *Deiparæ cultus.*

administrabat, præcipuo cultu venerabatur. Sodales Ecclesiasticos aliosq; ad eius amorem, honorem & reuerentiam, verbo; mundum vniuersum varijs libellis & quæsitis occasionibus ardenter excitauit: ad eam in angustijs vt Matrem fidenter confugiebat, & vota sat crebra coram ipsa nuncupare solitus est: Asperi-collensem etiam peregrinationem perdifficilem eius amore magnâ virtutum accessione fœliciter confecit. Hunc affectum mirificè S. Bernardi scripta nutriebant. Nam licet SS. Patres omnes suspiceret, & eorum monumenta diligenter euolueret: vnus tamen in cæteris Bernardus primatum obtinebat, huius spiritu capiebatur vnicè, quem tota mente combibere, factis exprimere, scriptis imitari, nimium quantum gestiebat.

Auctus lectione S. Bernardi

quem vnicè diligebat.

Huius vt operibus lucem afferret, genuina à spurijs secerneret, noua hactenus inedita donaret publico, lectorem ad eius amorem, cultum & imitationem prouocaret, omnem mouit lapidem. Sub initium suscepti laboris multa retardabant conatum, & à proposito velut iniectâ manu reuocabant: aduersa valetudo, difficul-

Difficultates in eo illustrãdo

ficultas incepti operis, magnitudo sumptuum in colligendis, describendis, transmittendis è varijs orbis partibus eius ineditis opusculis: tantum abfuit, vt mentem ab instituto deiecerint, vt etiam voti se religione obstrinxerit maturandi, perficiendiq; propositi. Plures in adornando iam opere sub manum remorę nascebantur: at ille Dei nixus auxilio, Patroni sui confisus patrocinio, iniquissimo rei librariæ tempore Francofurtense suscepit iter, non sine vitæ periculo, vel aduersæ valetudinis incremento, perrumpit obices, & in ipso quidem itinere, cùm ad Confluentinum Collegium, vbi frater degebat, diuerteret, & octo circiter dies asceticis S. Ignatij meditationibus animum excoleret, ibidem complura reperit M. SS. Melliflui Doctoris Opuscula diu desiderata. Deinde ex Oxoniensi Bibliotheca hæreticorum etiam studio permulta submissa sunt subsidia, complura etiam Dominus Ioannes Kinchius, Collegium Societatis Iesu, Carthusia Coloniensis, & Cisterciensis Ordinis Cœnobiarchæ submiserunt adiumenta & ornamenta: dixisses ei quasi diuinâ virgulâ ple-

perrūpit fœliciter.

Dei prouidentiæ nixus.

pleraque subministrata, quoties humana deficerent præsidia. Impresso & vulgato iam Opere sumptibus prædicti D. Ioannis Kinchij, mirificæ laudes eius, de Francia, Belgio, Germania, & Doctissimorum Virorum gratulationes adferebantur: ijs parum affici se litteris testabatur, gaudebat verò Cisterciensis Ordinis eruditissimum Abbatem animum adiecisse ad Opus inchoatum omnibus numeris absoluendum: ad quod etiam scriptis litteris eundem est cohortatus: iuuat hac super re fragmentum Iacobi responsoriarum litterarum excerpere ad Amicum admiratorem, & Encomiasten Operis.

In Bernardo meo conatum æstimari fortè patiar: sed quam in multis illic defuisse vires expertus sum, & ingenij & eruditionis? ad id quidem Operis melliflui me Doctoris amor impulit, amor, inquam, nesciens librare vires: ideoq; audacior, quàm par est, & maiora de se præsumens, quàm reipsa valeat. Gaudebo, si quis aptior defectum meum suppleat, & iam id moliri alium intelligo, Virum vndequaque Doctissimum

è Ci-

è Cistercienſi Familia, Hiſpanum, Doctorem Theologum, nunc in Belgio agentem: & is quidem gratulatus eſt mihi prolixè & perhumaniter litteris, etiam nunc palam editis ob nouam Operum S. Bernardi editionem: ſed & vnà noui Operis Ideam methodumq́ perſcripſit, & iam ſpecimen quoddam in vno S. Bernardi Tractatu ſeparatim edito dedit, mirum ſcilicet & magnum omnis litteraturæ tum Philoſophicæ, tum Theologicæ apparatum ille conuehit, & in vno Bernardo iuſtam nobis bibliothecam dabit. Hortatus ſum virum alacriter pergere in cœpto opere, adeo non refragabor nos ambos in eodem muſtaceo laureolam quærere.

Similes Commentarios in S. Gregorium meditabatur, huc moralia tanti Doctoris ipſum rapiebant, & paſtoralis muneris exquiſita documenta: ſed mors pios conatus intercepit.

Addamus quorumdam præſertim ex Ordine Ciſtercienſi Abbatum litteras, quibus Operis & Auctoris commendatio non vulgaris continetur.

Pri-

Primæ Parisijs, nomine totius Ordinis ab Abbate de Precibus, his verbis exaratæ:

Quem vestra Dominatio Bernardum nuper edidit, ita sanum & castigatum, tam auctum ac fœlici ordine digestum accepimus, vt pænè non idem, qui vulgò teritur, sed alius planè Bernardus videri poßit. In quo sanè vulgando, cùm multum publicæ vtilitati, tum imprimis nostro Cistercio contulisse plurimum nemo sanus non iudicet. Quare in manus nostras statim vt diuinum opus, quasi diuinitus & præter spem incidit, Dominationi vestræ, quam sincera iam mente etiam absentem complectimur, præsentem verò osculamur in Bernardo, vnus ego omnium nomine scripto qualicunque gratulari me debere sensi, vnàq; testari, quantum totum Cistercium suæ in ipsum pietati ac studio se deuinctum intelligat. Quam grati animi mei significationem cùm aliud, quod poßim referre, non habeam, quæso non dedignetur. Vnum insuper rogatum velim, vt si mentem nostram de Bernardo suo hic in Gallijs prælo iterum subijciendo non improbat, si quid in eo sibi mutandum, si quid addendum, aut etiam detrahendum visum fuerit, ad me transmitti curet, mentem certè non improbabit, cùm satis agnoscat, quantum nobis hic eius labor prodesse pote-

poterit: quibus etiam sumptibus huc è Germania, vbi prodière, comportari aliàs, quantum necesse sit, exemplaria queant. Pergat porrò vestra Dominatio, vt cœpit de nostra Cisterciensi, imò totius Ecclesiæ republica bene mereri, & quam nobis spem fecit, aliquorum adhuc si daretur emittendorum à se operum, ne quæso succidat: maximè verò, quia vereri se ait, ne falcem mittere in alienam messem videatur, si Magno exordio, seu Viris Illustribus Ordinis nostri, quos se penes esse ait, manum admoueat, oramus impensiùs, vt posito scrupulo suam iterum operam huic operi tribuat, quod quis nobis inuideat, cuius vel vnum manuscriptum exemplar (lucem enim, quòd sciam, non vidit adhuc) nescio an nostra Gallia exhibere posit? adeo semper nobiscum iniquè cùm Hæreticorum rabies, tum bellorum egêre tumultus; quod si Dominatio vestra præbuerit, totum quantum est Cistercium, meq; imprimis magis magisq; demerebitur: interim in Christo valeat. Lutetiæ Parisiorum 28. Octobr. An. salutis 1642.

Dominationis vestræ

Obsequentißimus seruus
Frater Ioannes
Abbas de Precibus.

Litteræ Ioannis Caramuelis.

Alteras dedit eiusdem Ordinis lumen ætate nostra clarissimum Ioannes Caramuel Lobkovvitz Melrosæ Abbas Louanio 8. Cal. April. Ann. 1643. qui pridem maius opus ad illustranda S. Bernardi scripta molitus erat, vnde Iacobo prodromo gratulatur, his verbis Operis editionem: *Ante annum tibi scripseram, sapientissime Vir: sed vt intelligo, perierunt litteræ incuriâ veredarij, copiam adiungo, vt scias tuum me nomen à longo tempore suspexisse & amasse. Desiderabam Bernardi tui dispositionem & argumentum internoscere; sed antequam idipsum à te discerem, Opus prodijt & meæ exspectationi satisfecit. O vtinam cognoscere velint Cistercienses Antistites quantum debeant tanti Auctoris tanto restitutori! at si nolint ipsi, macte animo Vir generose, Bernardo collaborasti, ipse tibi mercedem & laboris immensi præmium impetrabit diuinitus & humanitus. Amici aderimus, vt tibi æternùm obligati seruiamus. Insudasti illustrando Bernardo, ipsiq; recognoscendo & illustrando insudo: me tuis laboribus adiutum profiteor, & Ordini Cisterciensi applaudo.* Subijcit ideam Operis sui, & concludit: *Interim siquidem in eodem stadio, & sub eodem Principe meremur, communes curas & vigilias gera-*

geramus. Tibi præcursori congratulor, & dum tuis laboribus perfruor, mei ingenij partum qualemcunque patienter exspecta, & meam studiosam diligentiam Deo Opt. Max. nec non Bernardo nostro, de quo te benemeritum celebrabit posteritas, in tuis Sacrificijs commenda. Vale, Louanij 8. Cal. April. An. 1643.

Ioannes Caramuel Lobkovvitz
Melrosæ Abbas.

E Societate Iesu complures datis literis opus commendarunt: sufficiat fragmentum epistolæ R.P. Ioannis Bollandi 2. Octobr. Ann. 1642. scriptæ decerpere: *Dico cordatè & fuco omni procul, non primo solùm operis aspectu exsilijsse mihi cor: sed & quoties id sumo in manus, gestire nescio quo sensu spiritualis lætitiæ, idem pios omnes experiri puto. Benedictus Deus, qui quæ olim Sancto suo Clienti diuinitus instillauit, ea vt rursus D.V. studio ad plurium vtilitatem puriùs fluerent, effecit, ipsum Sanctum peculiari suo studio remuneraturum esse laborem, vt quæ olim ille scripsit, mellea spiritûs voluptati accommodata, ea in se experiatur. Vtinam plures prouocentur exemplo, & cæterorum opera Patrum ita illustrent!*

P. Ioannis Bollandi iudicium

CA-

CAPVT XXXIII.

Familiaritas pia & sancta cum Illustrissimo Domino Nuncio Apostolico Fabio Chisio Episcopo Neritonensi.

SErò nimis coaluit ista necessitudo, summaq; animorum coniunctio Illustrissimi Fabij Chisij cum Iacobo, nec nisi postremo vitæ anno, quæ consuetudine sic aucta fuit, vt nihil esset ista familiaritate coniunctius. *Occasio familiaritatis.* Inciderat eruditissimus Præsul in Paradisum animæ Christianæ, quo per quinquennium vsus assiduè: spiritus & pietas Libelli, Scriptoris amorem mouit, eiusq; cognoscendi desiderium. Nescio qua verecundia, latendi cupidior, quàm inclarescendi, vix amicorum hortatu Iacobus adduci potuerit, vt tanti nominis Præsulem conueniret. Primus statim congressus amicitiam peperit, quam morum, spiritusq; similitudo sic auxit, vt vnus amborum idemq; videretur animus, vna voluntas. Crebra exinde librorum & officiorum communicatio, frequentiora colloquia de pijs & *Vtilitas.* eruditis rebus, quibus ita proficere se Iacobus sentiebat, vt etiam venerit in deliberabera-

berationem, an non fouendo ſpiritui ſuo & virtuti confirmandæ congruum eſſet, Præſulem in Italiam ſequi, & ab obſequijs eſſe: plurimum enim exiſtimabat conuictum aſſiduum, & colloquia tam ſancta genio ſuo apta & conuenientia collatura ad virtutis ſtabilitatem & incrementum.

Vix Sanctiſſimi D. N. Vrbani mandato Illuſtriſſimus Nuncius Coloniâ digreſſus Monaſterium Weſtphaliæ diſceſſerat pacis ſanciendæ gratiâ, cùm deteriùs habere cœpit Iacobus, & acutiſſimo pleuritidis dolore lancinari; maximo morbi leuamento fuerunt Illuſtriſſimi Nuncij litteræ, quibus & ſuum aduentum ad locum tractandæ pacis explicabat, & pro ſuo Crucis Chriſti imitandæ deſiderio dolenter querebatur, ſe dignum non eſſe habitum, qui aliquid in itinere pro Dei gloria pateretur, cùm tamen non defuiſſet exercitæ patientiæ ſeges, dum eſuriali & hyberno tempore per altas niues, fluuios & paludoſa loca rhedâ difficulter cum ſocijs veheretur, vt aquarum exundantia currum & vectorum talos humectaret.

Hic æger animo confundi, quòd pretium morbi, Crucisq; Dominicæ præstantiam & decus sublimissimum non satis hactenus ponderasset, ideo gaudere se deinceps monstrauit, quòd dignus eo fuisset honore à Christo iudicatus, qui Passionis Dominicæ tempore, particulam Crucis Dominicæ sustineret.

Patientia ex literis cõfirmata. Postea per amici communis literas Iacobus Illustrissimum Nuncium & salutauit, & Episcopalem petijt benedictionem. Indoluit vehementer Legatus, comperta inualetudine, quæ diuortium factura metuebatur, tam piæ doctæque consuetudinis & familiaritatis, quàm in impari gradu dignitatis spiritus idem, paribus moribus, studijs, vita & virtute animabat, ita perhumaniter salutato per R.P. Franciscum van der Veken Societatis Iesu Doctorem & Professorem Theologiæ D. Iacobo benedixit, non sine rubore ægri, quòd tantus Præsul sui tam indigni & vilis, vt aiebat, homuncionis meminisset. Exinde litteris octiduanis Legatus Apostolicus statum ægri peruestigauit, cognitaq; morte, funebre peregit Sacrum, multumq; laborauit, vt vita

Amor Legati in mortuũ.

ta literis consignaretur, & pro suo in Virum amore, Diurnale & Decadem, quibus vsus, Tabellam, qua preces, quibus assiduè per diem vtebatur, manu sua inscripserat, ac funiculos nodosos, quibus se verberare consueuerat, seruare voluit, tesseram amoris & sanctæ coniunctionis.

CAPVT XXXIV.

Cura ægrorum & morientium, morbum & mortem ei accelerat.

MAiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis: & hoc certum ac euidens optimi Pastoris argumentum, *animam ponere pro ouibus suis.* *In hoc cognouimus*, ait S. Ioannes, *charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Itaque nihil antiquius habuit, vt erat Iacobus Pastor vigilantissimus, quàm vt ægros Parœciæ cognosceret, & studijs alijsq; quibuscunque rebus sepositis inuiseret, admoneret officij Christiani, consolaretur mœstos, & Sacramentis vltimis ad supremam luctam premuniret; egentibus autem pecuniario

Ioan. 15.

1. Ioan. 3.

subsidio subueniret. Hic iterum qui temporis parcissimus erat, non horas supputabat, dies integros vel noctes, cùm necessitas vrgeret vel æger flagitaret, traducebat: sæpe cùm ipse debilis magnis doloribus afflictaretur, sui, somniq; oblitus, noctes integras perdurabat: licet aduerteret periculosis & contagiosis morbis imbecillem valetudinem grauiter affici, tentarique; nihili tamen id pendebat, quod gloriosissimum æstimaret tam pijs occupationibus immori. Morientibus verò hoc adstabat libentiùs, quòd maior animæ necessitas vrgeret, periculosior instaret Dæmonis tentatio, adeoque charitas maior præstaretur, & beneficium excellentius: quæ causa morbum & mortem ei videtur attulisse.

Æger totis noctib. adest ægris

Morientibus cur adstaret libenter

Cùm enim Anno 1644. quidam quadragenarij ieiunij tempore morbum insanabilem incurrisset, eiq; paulatim intestina putrescerent, vt viuum & spirans cadauer aliquot diebus intolerabilem adstantibus mephitim afflaret, essetq; æger excellenti virtute ac pietate & incredibili patientia vir, quam nulli morborum acutissimorum cruciatus labefactarent:

Occasio morbi.

Ideo

Ideo Iacobus noctes & dies adſtitit, ſermonibus ſacris fouit & confirmauit, vt à latere ſuo æger vix eum diuelli pateretur: ita diebus eſurialibus, ieiuno ſtomacho tabem hauſit, quæ die Iouis Sancto manifeſtiùs prodijt. *ex ægri crebra viſitatione.*

CAPVT XXXV.

Incrementa morbi, & ſingularis patientia.

CVm *iuſtus in principio accuſator ſit ſui*, ideo peccatis ſuis adſcripſit ægrotationem, & correptionem vt patris amantiſſimi ſuſcepit, ac licet eo tempore moleſtum videri poſſet, Parochianis in adminiſtrandis Paſchalibus Sacramentis non adeſſe: libenter tamen ſuam cum diuina conformauit voluntatem, ſibi non parum in hoc gratulatus, quòd dum Eccleſia Chriſti cruciatus recolit, & fideles omnes exoptat pœnitentium ritu publicè teſtari, Chriſtum innocentem peccatis noſtris pœnas debitas morte Crucis expiaſſe, mereretur & ipſe Saluatori noſtro toleratis corporis doloribus, & interiore triſtitia *Humilitas initis ægrotationis.*

mentis assimilari: secum verò nimis clementer agi, dicere solebat, cui minima tantùm guttula propinaretur, cùm Christus totum fellis & absynthij calicem ad fæces vsque exhauriret.

Colloquia pia. Die Veneris Sancto binas circiter horas cùm Confessario iucundissimè diuinis de rebus sermocinatus, dolebat quidem non licere pro more & lege, quam sibi tulerat, cum cilicio & ieiunio in noctem vsque protracto, viam obire Romanam: præcipuis Vrbis Ecclesijs visitatis: iterum voluntate pro re Deo consecrata, eius se totum subiecit arbitrio. Postridie pleuritis accessit, nec sola; sed capitis dolore, tussi, febriq; stipata.

Tunc laterum aculeatissimæ lancinationes, perforatarum Christi manuum & pedum dolores exhibebant: aberat in istis cruciatibus gemitus: intercalarem sæpe versum iterabat: *Adde Domine dolores, auge patientiam.*

Morbi sũma inclemẽtia die Paschatis Ipso Resurrectionis Dominicę die manè sic aucta mali violentia, vt vsum loquendi sat diu sustulerit, ac licet dolores laterum continuò pungerent, tussis affligeret, facultas exscreandi sputi defecisset,

vt cumulus malorum accederet, qui defectum viribus iuuaret, aderat nemo: quo ſic Chriſto in Crucem acto ſimilior euaderet, pariter ab omnibus derelicto. Sed à meridie nonnihil remiſit dolor, & inclementia morbi, ſic vt more ſuo recepto loquendi vſu iucundè pijs de rebus diſſereret, optimè morbi moleſtijs & Dei voluntate contentus, nihil vt his melius quæreret. Sed cùm medicus vterque corporis & animi lectionem Horarum Canonicarum in grauiſſimis doloribus interdicerent, nihilominus ad collocutionem ægrum inuitarent, feſtiuè more ſuo repoſuit: *Cum hominibus loqui me vultis, & cur cum Deo prohibetis?* Perſtantibus in ſententia, morbiq; incrementum ob nimiam precantis contentionem obtendentibus, morem geſſit, decademq; Deiparæ Virginis exinde digitis verſare cœpit, nec vmquam ferè depoſuit. Ei nummiſma transfigurationem Dominicam altera ſui parte referens, appenſum erat, quam cùm ſolus degeret, ſpeculabatur, & pios ad Deum gemitus, ad adſtantes ſalutaria colloquia conabatur elicere, nec de morbo dubitabat dicere: *Bonum eſt nos hic eſſe,*

Studium lectionũ Horarũ.

Obedientia.

Deum enim afflictis proximum sentiebat, qui promisit, *cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.*

CAPVT XXXVI.

Morbo nonnihil remittente votum concipit S. Caroli Borromæi vitam illustrandi.

Remittit infirmitas.

OCtauus morbi dies, qui erat dies Iouis Paschæ, crisin ostendit iudicio medici bonam & salutarem: nam sudore sponte promanante è corpore, febris remisit, laterũ aculei hebetati, tussis rarior, dolores capitis leuiores videbantur, licet cibi fastidium, & virium imbecillitas periculum non abesse satis indicarent. Nocte quadam somnum solito ceperat arctiorem: excitatus animum sensit in S. Caroli Borromæi cultum rapi vehementiùs, & quia diuinitus moneri se credebat, vt eum sibi Patronum adoptaret: deliberauit, qua posset ratione sibi faciliùs eiusdem patrocinium demereri; succurrit, si sanitati restitutus, primo quod aditurus esset opere, eundem exemplar proponeret omnibus Ecclesiasticis, quod numeris omnibus absolutũ intuerentur sæpiùs & imitarentur. Id se consecuturũ sperabat, si vitam S. Ca-

S. Carolũ Patronũ eligit.

roli notis illustratã publico donaret: mox & voti se religione obligauit, vt primùm consanesceret, se vitam eiusdem cum cõmentario literis consignaturum, idem Cõfessario venienti statim indicauit. Repertũ post mortem in chartis eius est elogiũ vitę Carolinę, quasq; vehementer ipse cuperet virtutes ex ea Clericis esse cõmendatas; & quid pararet scribere his verbis: *Vouet vitæ eius illustrationem.*

Acta illa (S. Caroli) *maiori ex parte exstant Italicè, optandum videretur, vt periti interpretis operâ ad totius Ecclesiæ vsum Latinè loquerẽtur. Interim vitam eiusdẽ sanctißimi Præsulis* (*quã Carolus à Basilica Petri eiusdem Cardinalis familiaris & arcanorũ consiliorum particeps, ac deinde Episcopus Nouariensis elegãti sanè & purißimo stylo fideliter & egregiè scripsit*) *satis cõmendare nequeo: dignißima est, quam Præsules & Ecclesiastici nocturna versent manu atque diurna. Omnes in ista Hierarchæ maioris partes virtutes ac dotes zelum maximè ac studium diuini honoris & alienæ salutis, quo ad stuporem arsit, odium sui, sobrietatem, modestiam, ac totius vitæ rigorem, ac omnes boni Præsulis virtutes ac officia tam accuratè prosequitur, tam viuis omnia coloribus tam solerter exprimit, vt ipsum nobis Carolum viuum & in omni-*

bus officij Episcopalis muneribus strenuè agentem; quasi præsentem repræsentet, itaque delectat, flectit, & trahit lectorem suum, vt coram cernere potiùs, quàm legere videaris: adeoq; non immeritò, qui vitam vertit Germanicè ex Italico, Coronam Prælatorum inscripserit. Felicem sanè dixerim Carolum illum, tum quòd ijs donis & charismatibus eum diuina benedictio repleuerit, tum quòd talem vitæ & virtutum Scriptorem nactus, efficaciter etiamnum vt virtutum exemplar posteros quoque ad sui imitationem excitet.

Hanc itaque vitam (adde & aliorum SS. Præsulum) tanto profuerit legere diligentius, quo efficaciùs ad virtutem mouemur exemplis, quàm monitis; hæc enim ducunt, illa trahunt. Verùm labor ille, quod doleo, rarus est, & vix separatus exstat in Germania. Itaque vti animum ita manum ego apponam, & commodiori ordine in capita digestum, & adnotationibus illustratum edere statui.

Ex superioribus etiam nonnulla separatim denuò edi, quædam in fasciculum colligi, & prælo committi iudicarem expediens, si alij idem iudicarint. Et ego istam operam & industriam offero, tam cupio Ecclesiasticæ disciplinæ consultum; vtinam votis annuat Deus, & summos

Ec-

Ecclesiæ Præsules, quorum interest, efficaciter excitet. Hæc ipse.

Ita viuens & moriens hoc vnum animo calamoque ſpectabat, vt vires ſuas omnes reliquas atereret in talibus lucubrationibus, quibus Dei gloria, proximiq; ſalus promoueretur, & potiſſimum Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſuleretur: ſed ad ægrum reuertamur. Libenter interea de prouidentia Dei circa electos, & eam quam expertus ipſe ſæpius in vita: nunc etiam in morbo circa penſionum tot annis deſperatarum ſponte oblatam ſolutionem, loquebatur, nonnunquam Indorum conuerſiones & Virorum Apoſtolicorum illic in vinea Domini labores auidis auribus excipiebat: tum hilari fronte adſtantibus: *Eamus & nos in Indiam, & moriamur cum eis*: mox ſe corrigens, *metuerem*, aiebat, *ne ante nauigationem, vel in ea morerer.* Agnouit deinde ſuam ſibi datam Indiam, morbum eſſe præſentem, quem egregia animi alacritate inter lateris redeuntes aculeos ferebat, & pijs iſtis colloquijs leniebat; ſed cùm abeſſent, qui ſolarentur, icones Paſſionis Dominicæ libenter contemplabatur: ijs interior ſpon- *Aſpectu piarum imaginũ*

dæ pars tota vestiebatur: & quidem in oculos iacentis duæ potissimùm incurrebant, altera Christi purpurea chlamyde vestiti, spinis coronati, manu tenentis arundinem; altera Crucem baiulantis: hęc parieti sic affigebatur, vt Iacobo Christus occurrere videretur, eiq; Crucem offerre deportandam, vnde mirum iacenti solatium, & animi prōptitudo, maiora (si Deo placeret) perpetiendi. Quòd si quidam adstantium augere doloris magnitudinem viderentur; ijs placidè reponebat, longè mitiùs ac mereretur, Deum secum agere, hocq; se beneficij loco numerare, quòd guttulam sibi delibandam amari Calicis propinaret, quem ipse felle plenum & absynthio totum esset bibiturus. Hanc patiendi cum Christo promptitudinem ei Rosarium dolorosum conciliabat, quod identidem voluebat, id ipse sibi pridem ad memoriam septem effusionum Sanguinis Christi digesserat, in septem Decades, postea seorsim editum cum amicis communicauit, est verò huiusmodi.

Solatium infirmi.

RO-

ROSARIVM D. N. IESV CHRISTI, IN SEPTEM DECADES DIgestum, ad memoriam & honorem septem Effusionum Sanguinis Iesv Christi.

Præmisso Symbolo Apostol. Credo, *& dicta Oratione Dominica decurre Primam Decadem sequenti* Salutatione *decies repetita.*

AVe dulcissime Domine Iesu Christe, Gratiâ plenus: Misericordia tecum. Benedicta sanctissima Vita, Passio & Mors tua; & benedictus Sanguis Vulnerum tuorum, quem pro nobis effudisti, &c.

Similì modo percurre Decades sequentes præmissa singulis Orat. Domin.

Porrò ad recolendas septem Effusiones Sanguinis Domini, ad singulas Salutationes adde post effudisti.

In I. Decade, In Circumcisione tua.
In II. In Agonia tua.
In III. In Flagellatione tua.
In IV. In spinea Coronatione tua.
In V. In Detractione vestium tuarum.
In VI. In Crucifixione tua.
In VII. In Apertione Lateris tui.

In fine cuiusque Decadis, seu vltimæ Salutationi subiunge sequentem Aspirationem ad Beatiss. V. Mariam.

Sancta Maria, Mater Dolorosa, per gladium doloris, qui transfixit animam tuam, impetra nobis fructum Sanguinis IESV Christi Filij tui, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

Si cui libet & vacat, poterit dictam Aspirationem singulis Salutationibus annectere.

NOTA *I. Facillimus hic est & pio homini vtilissimus, Deoq́ gratissimus modus recolendi quotidie Passionem D.N. Iesu Christi, cuius præcipua puncta facilè hac methodo reuocantur in memoriam.*

II. Alÿs pÿs affectibus, industrÿs & intentionibus condiri posset oratio vel recitatio huius Rosarÿ: si nempe singulæ Decades dirigantur Affectu Contritionis *contra singula Vitia Capitalia.*

v.g. I. Contra Luxuriam.
II. Contra Superbiam.
III. Contra Iram.
IV. Contra Gulam.
V. Contra Auaritiam.
VI. Contra Acediam.
VII. Contra Inuidiam.

Item, si singulæ Decades ordinentur Affectu Imitationis, *pro septem præcipuis Christi virtutibus imitandis, quas passim proponunt Canisius, Costerus, & alÿ.*

I. Pro

I. Pro Christi Humilitate.
II. Pro Mansuetudine.
III. Pro Patientia.
IV. Pro Obedientia.
V. Pro Benignitate.
VI. Pro Charitate.
VII. Pro Liberalitate.

Et in hunc quidem finem, per singulas Decades initio Salutationis addi posset Epitheton ad huiusmodi virtutes recolendas conueniens, v.g. Aue 1. Humillime, 2. Mansuetissime, 3. Patientissime, 4. Obedientissime, 5. Benignissime, 6. Amantissime, 7. Liberalissime Domine Iesv Christe, &c. *Item potest recitari hoc Rosarium,* pro septem donis Spiritûs Sancti, &c.

Si cui graue est, vna vice pertexere hoc Rosarium, is per septem dies hebdomadæ distribuat. Sic nulla tibi, ô pie Asceta, abibit dies sine Exercitio Dominicæ Passionis, cuius assiduam memoriam tantopere nobis commendatam Christus ipse voluit.

ACTVS CONTRITIONIS AD REMISSIONEM PECCATORVM obtinendam efficax: eoque semper in promptu habendus, quia est præsentissimum malæ mortis antidoton.

D*omine Iesu Christe, verus Deus & homo, Creator ac Redemptor meus, Pœnitet me* ex

ex toto corde, quòd offenderim te Dominum & Deum meum, quem amo super omnia. Et propono firmiter amplius non peccare, omnesq; peccandi occasiones deuitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit iniuncta.

Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi Paßionem tuam, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam.

Et confido in bonitate & misericordia tua infinita, quòd per merita pretiosi Sanguinis tui, mihi remissurus sis omnia delicta mea.

Et gratiam vberem largiturus, qua vitam sanctè instituere, tibiq; perfectè vsque in finem seruire valeam. Qui cum Patre Sanctoq; Spiritu viuis ac regnas Deus in sæcula benedictus, Amen.

CAPVT XXXVII.

Mors pia vitæ consentanea.

QVatuor ipsas hebdomadas morbus extremus tenuit: prima & vltima quàm acerbissimum inussit dolorem: duæ intermediæ mitiorem & tolerabilem: nam tertiæ Paschatis hebdomadæ die Iouis pungere rursum & fodere laterum cœpit acrior

acrior morbi vis, intermiſſis nec cõtinuatis interuallis, quæ quartæ hebdomadæ Paſchatis die Iouis ad extrema deduxit: Itaque cùm nox præcedens aucta virium debilitate loquendi difficilem vſum & ægram reſpirationem permitteret, & hunc fatalẽ ſuum diem agnoſceret, manè præmiſſa peccatorum exomologeſi, cum inſigni pœnitudine commiſſorum multùm ſe fidei, ſpei, charitatis & reſignationis actibus occupauit, dici vix poteſt, quo mẽtis affectu, quàm tenero pietatis sẽſu ſe ad viaticum recipiendum preparatit: prelegi ſibi lentè diſtinctèq; petijt orationẽ præparatoriam : *Ad menſam dulciſsimi Conuiuij:* tum tenero pietatis ſenſu & ardenti fide, cœleſti refectus epulo, ſacro petijt ad vltimã inungi luctã oleo: reſpõdit ad ſingula verbis articulatis: peractis omnibus proteſtatus eſt corã preſentibus, animitus omnibus ſe condonare offensã, viciſſim à præſentibus & abſentibus, ſi quos vnquã offendiſſet, veniam demiſsè precatus eſt: tũ gratijs Deo piè perſolutis & patriæ celeſtis excitato deſiderio, quieuit paululum. A meridie prælegi nonnullos virtutum actus è Paradiſo ſuo petijt, tum è Thoma

Dies fatalis.

Confeſſio.

Cõmunio

Inunctio.

Veniæ petitio.

ma de Kempis: è quo de Regia Crucis via *Amor Crucis.* legenti ſic diligenter auſcultauit, vt moneret Anagnaſten à textu ne aberraret, quem cùm memoria ferè teneret, & congruos affectus eliciebat: miſcebat vel integros Pſalmos, præſertim hunc: *desideriũ patriæ cœlestis.* *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, vel decerptos è varijs verſiculos, & hos verſabat ardentiùs: *Quàm bonus Deus his, qui recto ſunt corde: Mihi adhærere Deo bonum eſt: Quid mihi nunc eſt in cœlo. & à te quid volui ſuper terram: Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Circa quartam veſpertinam accerſito medico quæſiuit de mortis propinquitate: comperto ſat vicinam eſſe, eo digreſſo leuari de lecto petijt, & in pauimento ſubſtrato cinere mori, *Optat in terra mori.* S. Franciſci ſecutus exemplum, teſte S. Bonauentura, c. 13. idem ſub initium morbi lecto iam affixus, vt fieret, non petierat tantùm, ſed & iuſſerat: nec deerant præſentium nonnulli, qui pijs obſequendum eſſe votis exiſtimarent; ſed cùm moneretur, ne ſibi ipſi mortis acceleratę pręberet occaſionem, acquieuit. Rogatus ſub quintam à Confeſſario, peteretne peccatorum abſolutionem? reſpondit,

tem-

tempus nondum adesse, nec se præsentis mortis adhuc indicia persentiscere. At circa sextam ardenter cum indulgentijs remissionem peccatorum flagitauit insigni de commissis elicito dolore: tum Crucifixi vulnera dulcissimè dissuauiatus, *millies & millies* aiebat: *O dulcissime Iesu, laudabo te, Iesu miserere mei, Iesus, Maria:* subinde sæpius salutifera nomina compellauit, excitato cœlestis patriæ desiderio: ad quam circa septimam vespertinam, cùm Sol occumberet, placidè nullo doloris edito signo dexterâ Crucem, leuâ Cereum ardentem complexus, vt speramus, euolauit; quo tempore cum Sole occumbente moriturum medicus paulò antè denunciarat, quando præsentium quidam subintulit: ergo cum Sole Sol huius Ciuitatis & Cleri occumbet? sicut de S. Basilio medicus eiusdem asseuerarat.

Exosculatio Crucis.

Vltimi affectus.

Mors.

CAPVT XXXVIII.

Funeris ratio ab ipso præscripta, & tabulis testamentarijs sancita.

FVit Iacobus paratior ad mortem, quòd eam multis iam annis prouiderit,

Præparatio ad mortem.

rit, ad eā necessaria præpararit: quid in ea & post eam fieri vellet, lōgè antè designarit. octēnio antè sibi scripserit Epitaphiū, quo breuem vitę regulam cōplectebatur, id amicorum rogatu nomine *Epitaphij hominis Christiani* publico donarat in patenti folio: ruminabat sæpiùs emendatis & additis nonnullis alijs.

Scriptio Epitaphij.

A triennio tumbam curarat, quam lecto impositam quotidie contemplabatur, cui hoc distichon inscripserat:

Tumba parata.

Cum capulum cernis, cur non mortalia spernis?
Tali namque domo clauditur omnis homo.

Sic & sepulchrum designarat, facta tali nominis incisione: *Iacobus MerloHorstius Parochus huius Ecclesiæ obijt Anno ....* Testamentū pridem scripserat, idem annuè ferè reuoluebat, & vel cōfirmabat, vel mutabat, hæredibus semper pauperib. nominatis, funeris etiam omnem rationē consignarat, & priuatā semper decreuerat, absq; pōpa vel sumptib. qui mortuo non prodessent, & pauperibus necessaria subsidia decerperent, eiq; solos cum Sacerdote præsentes esse 40. pauperes iusserat, qui noctem ipsā delato in tēplū funere vacarent precibus, dicerent vigilias, animam Deo cōmendarent, id etiam ad mentem eius factitatum.

Sepulcrū

Testamentum.

Nam cùm 21. Aprilis die Iouis vitam cum morte cõmutasset: die Veneris post Solis occasum in templum delatus est, funus stipantibus 40. studiosis cum Sacerdote & ministris, die Sabbathi manè solenniter eidem Vniuersitas Coloniensis præsente Rectore Magnifico, Collegæ permulti Metropolitani cum R^mo D. Suffraganeo ac Parochianis parentauit in ęde Parochiali funebri Sacro, cui adsistentes, multi dolorem suum lachrymis testabantur, dum corpus humo conderetur. *dies mortis.* *sepultura* *parentationis.*

Reliquit sanè magnũ sui apud summos infimosq; desideriũ: quippe qui apud oẽs vti doctissimus, ita vitâ integerrimus, æquè amãtissimus, & honoris diuini propagãdi cupidissimus habebatur. Vnde Principes Viri cognita Iacobi morte vehementer indoluerunt: quẽ varij pro diuersis Diœcesibus ad officia maiora pro Dei gloria proximorumq; salute promouenda destinarant & inuitarãt. Inter cęteros Ser^mus & R^mus Maximilian⁹ Coadiutor, Dux Bauarię &c. dolenter accepit mortem eius: nam operâ ipsius vti in arduis rebus suo tẽpore decreuerat. Ita quo vehemẽtiùs ipse nominis ęstimationẽ & Principũ fauorẽ declinabat, hoc fugientẽ magis vltrò sequebatur.

CAPVT XXXIX.

Dicta sententiæq́; eius selectiores, quibus vt principijs vitæ perfectioris vteretur.

INnumera sunt axiomata, maximæq́; libris eius omnibus insperſę, quibus vitæ ſanctioris cupidi tutò poſſint niti, moresq́; conformare, ſeligam pauculas, vel quarum in familiari colloquio frequens vſus ei fuit.

Pſal.22. DOMINVS REGIT ME, ET NIHIL MIHI DEERIT, IN LOCO PASCVÆ IBI ME COLLOCAVIT. *Galat.5.* *Vtinam* MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS *ſit*, ET EGO MVNDO. *Vtinam* MIHI *Philip.1.* VIVERE CHRISTVS *ſit*, ET MORI LVCRVM. *Si animæ bene eſt, facilis & leuis cæterorum omnium iactura erit. Clerici ſe bonorum ſuorum non vt dominos, ſed diſpenſatores habere* *1. Tim.6.* *debent* : HIC IAM INTER DISPENSATORES QVÆRITVR, VT FIDELIS QVIS INVENIATVR. HABENTES ALIMENTA, ET QVIBVS TEGAMVR, HIS CONTENTI SIMVS. *Maior eſt, & ad maiora genitus homo Chriſtianus, quàm vt pecuniæ mancipium ſit, & mammonæ ſeruiat.*

Non

Non bene conueniunt militare Deo, & dignis seculo curis implicari. Quando peius habuit Ecclesia, quàm cùm eius ministri cœperunt contemptis vel malè contortis Canonum decretis beneficia beneficijs, & curas curis superaddere? Vide quid singulis diei horis agendum sit, & hoc vnum age, quod agis præscripto tempore. Nullius sanè temporis certior nobis constat fructus, quàm quod Deo impensum est. O quàm prodigi temporis dum seruiendum est vanitati: quàm parci cùm pietate vacandum est? cui meritò omne tempus debebatur.

Ama libros pios, & sacrarum litterarum studia, & carnis vitia non amabis. Bene nouit viuere, qui bene nouit orare, nec bona vita sine oratione diu consistere, nec oratio sine bona vita multum prodesse potest.

Vis psallere vt placeas Deo, sic versetur laus in ore, ne fraudetur mens sapore. Hoc est lucrari vitam quotidie sibi, vitijs & mundo mori.

Si diuino tribunali causam tuam probaueris, salua res est; hominum iudicia nihil officient.

His & similibus nixus principijs, recto tramite calcatis mundi legibus Christi legebat vestigia: suosq; lectores ad eadem sequenda sic exhortatur: *Aliæ sunt*, ait, *leges* *c. 9. Monit. sap.*

leges mundi, aliæ Christi: mundus sectari iubet sublimia, at Christus humilia. In mundo seruitur carnis desiderijs & voluptatibus, lusus, ioci, risus, gaudia, vndique personant; lites, rixæ, æmulationes & odia regnant. At Christi lege spiritus facta carnis mortificat, voluptas exulat, castitas, charitas, pax & concordia principatum obtinent. Mundus diuites, potentes, honoratos suspicit & admiratur: at Christi sententiâ pauperes, humiles, afflicti, tristes, &c. beati prædicantur: quis hisce Dominis adeo diuersa suadentibus vnà seruiat? Sed tu perge alacriter & generoso pectore viâ, quâ cœpisti. Pugna fortiter, ô Christiane miles, nec hosti huic cede: facilè vinces hostem, si contempseris. Multi profectò rariùs peccarent, si hunc hostem minùs timerent. Sed, ô misera seruitus, mundi metu Deum offendere, virtutem deserere, conscientiam lædere, quin potiùs illum solum time, qui vitæ & necis potestatem habet, quemq; in fine solum habiturus es Iudicem. Hactenus in Monitis Sapientiæ Christianæ: quæ tota redundant similibus effatis mundo contrarijs; nam *sapientia huius mundi stultitia*
1.Cor.3. *est apud Deum*, qui Cosmophilis seueris minatur verbis: *Perdam sapientiam sapientium,*
1Cor.1.19 *& prudentiam prudentium reprobabo*: tunc vide-

videlicet, cùm quos ſimilibus principijs nixos in fatuis numerarant, ijs cœleſti gloria donatis, & viſis ſeriùs ingemiſcent: *Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deri-* Sap. 5. *ſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à via veritatis.* Ita verum eſt, erraſtis, cùm diuinæ ſapientiæ effatis contrarias leges vobis ſtolidè poſuiſtis: ſerò tandem ſapietis, cùm ſtulta ſapientia veſtra toti mundo patefiet.

CAPVT XL.

Forma corporis, Statura & Lucubrationes.

STatura fuit ex mediocri, magis ad Statura. proceram accedente, ore liberali, fronte exporrecta, vultu ſemper ad modeſtiam & grauitatem compoſito, genis macilentis, rubore tamen grato reſperſis.

Sermone vtebatur ſuaui & leni, nonnunquam etiam in delinquentes vehe-

menti, habitus gestusq; corporis moderatus & maturus, ingenium clarum, memoria fœlix, labor assiduus, & mirum in ea corporis infirmitate, Pastoralis officij partibus omnibus diligentissimè obeundis, tantum superfuisse temporis & virium ad eam studiorum contentionem tot annis continuandam, & toti Orbi lucubrationes publicandas.

Editi libri. *Anno ætatis 26. edidit* ENCHIRIDION *Officij diuini tum Ecclesiasticorum tum aliorum diuinis Officijs piè interesse cupientium vsui accommodatum, cum exercitijs & orationibus, in 12. An.1623. impressum.*

VIATICVM *Quotidianum hominis Christiani, 24. an.1633.*

MONITA SAPIENTIÆ *Christianæ, ad mores & vitæ spiritualis officia omnemq; pietatis cultum vtilia, in 24. a.1629.*

FASCICVLVS *Myrrhæ & Thuris, in 24. a.1630. impressus.*

PARADISVS *Animæ Christianæ, lectissimis omnigenæ pietatis delicijs amœnus, in 24. an.1630. & 1644. editus.*

SEPTEM TVBÆ *Orbis Christiani, ad reformationem Ecclesiasticæ disciplinæ toto orbe, & præsertim in Germania ad præsentium & gra-*

grauiorum malorum Remedium necessariò instituendam excitantes.

I. *Continet* S. BERNARDI *de Considerat. ad Eugenium, & de vita & moribus Prælatorum, Clericorum, &c.*

II. S. GREGORII MAGNI *de Cura Pastorali.*

III. CHRYSOSTOMI *de Sacerdotio.*

IV. PROSPERI AQVITANICI *de Vita Contēplatiua & Actiua Sacerdotum, Virtutib. vitijs.*

V. S. PETRI DAMIANI *Opuscula, de fuga dignitatum, de dignitate Sacerdotij, Vita Canonicorum, inertia &c.*

VI. PETRI BLESENSIS *Canon Episcop. & disciplina Ecclesiast.*

VII. SALVIANI MASSILIENSIS *Opera omnia. Hæc vti & superiora maiori ex parte nouis in capita & paragraphos sectionibus, procemijs & annotat. illustrata. Appendicis loco accedunt Quæstiones variæ hoc tempore plurimùm vtiles & necessariæ, in 4. a. 1635.*

APHORISMI EVCHARISTICI, *id est, piæ & S. Celebrationis & Communionis Monita, in 12. a. 1638.*

CHRISTIANVS THEODIDACTVS, *seu doctrina piè viuendi & beatè moriendi, forma colloquij inter Christum & hominem, verbis ferè sacris expressa, in 12. 1643.*

VIATOR Christianus, rectâ ac regiâ in cœlum viâ tendens duce IESV Christo, de cuius Imitatione libros à Thoma de Kempis scriptos, aliaq; pijßima Opuscula nouâ curâ recensuit, & Notis strauit, in 24. a. 1643.

S. BERNARDI Vitam & Opera magno studio collegit, auxit, correxit, Annotationibus illustrauit, conuenientiore ordine distinxit, & in sex Tomos distribuit, Indice copioso Rerum, Locor. comm. & S. Scriptræ.

Tom. I. continet S. BERNARDI Epistolas.

II. Sermones per Annum, & de diuersis, item in Psalm. Qui habitat.

III. Sermones in Cantica Canticorum.

IV. Libros & Tractatus varios seu Opuscula.

V. Aliena, dubia, & supposititia.

VI. siue Appendix, GVERRICI Abbatis Igniacensis, & GILLEBERTI de Hoylandia Abb. in Anglia, Discipulorum S. Bernardi Opera complectitur.

Præmissa est Vita septem Libris distincta, cum Elogijs & Chronologia Vitæ & Scriptorum eiusdem Annotat. in folio 1641. apud IOANNEM KINCHIVM Coloniæ, qui & pleraque alia impressit.

Plures libros alios relegit ac correxit, quibus nomen non apposuit, & alia pia euul-

euulgauit, plura meditabatur, quæ paucis ante mortem mensibus amico flagitanti sic enumerat: *Si quid edam deinceps, primum erit, ni fallor, Commentarius litteralis & moralis in omnes* PSALMOS DAVIDIS, *insertis passim monitis pijs & exemplis ad vsum Ecclesiasticorum & Religiosorum Psalmos quotidie recitantium: Opus affectum iam ante Bernardum, cuius recognitioni hanc hyemem destinaueram, si valetudo ferret, iam satis attrita & languida.* Edendi.

Nouam quoque editionem Operum S. GREGORII M. *meditabor, sed vereor me operi fore parem,* PÆDAGOGVM ÆGRORVM & AGONIZANTIVM *parabam, tam in gratiam eorum, qui his operam nauant, quàm qui ipsi piè in morbis & morte se gerere cupiunt.*

MEDVLLAM SAPIENTIÆ, *tum sacræ, tum profanæ, colligo ex varia lectione, id est, breues, acutas & neruosas gnomas seu sententias & axiomata, moribus formandis idonea: Specimen quoddam ex* BERNARDO *aliàs dedi: sed non ita nuda & ieiuna, verùm appositis ipsorum Auctorum locis, vt vsus statim appareat, & illustrata similibus aliorum auctoritatibus, exemplis, testimonijs, &c. in eundem scopum sensumq; collimantibus.*

THEATRVM AGONIS CHRISTIANI erigere paro, id est, Sanctorum & illustrium hominum in morbis & morte, dicta, facta, apophtegmata ex varia, veteri & noua historia illustrata. Multa quidem alia conceperam, sed ad iam dicta vberior in aduersarijs apparatus, seu futuri operis materia congesta est, quis det vt perficiam & absoluam? Vita summa breuis spem me vetat inchoare longam.

Scopus in libris edendis propositus. Petit deinde preces, & scopum in his spectatum aperit, *vt ex pusillis meis conatibus aliquid ad augmentum diuini cultus & profectum salutis meæ & proximorum adminiculi exspectari possit.* Ita nihil voluebat animo, vel scribebat calamo, nisi quod sibi proximoq; fructuosum & diuinæ gloriæ propagandæ congruum existimabat: nihil, in quo vanam doctrinæ famam & nominis claritatem intenderet: quamuis eiusdem libris non Catholici tantùm, sed & Hæretici applauderent, quidam etiam Coloniam excurrerent, vt hominem nossent. Hunc Deus Opt. Max. Coloniæ Virum dedit, Lumen Ordinis Ecclesiastici, Pastoralis Vitæ Decus, Exemplar & Ornamentum: quam vti semper libris asceticis illustrare conatus est, ita moribus.

bus expressit sanctissimis, cuius omnia desideria, cogitata, verba & opera, diuini nominis cultum & honorem, auctiorem & ardentem amorem spectare videbantur, hoc vnum meditabatur, in hoc se exercebat, hoc calamo scribebat, vt se cunctosq; mortales, memores salutis & perfectionis cuiusque statui consentaneę efficeret, & ad Deum summum bonum, centrum & scopum vitæ pertraheret. Hoc Epitaphium in funere præsentibus distributum, & testamentariæ tabulæ loquuntur cum codicillis, quæ visum est attexere, vt Ecclesiastici possint imitari. Nec ita de vani nominis memoria perpetuanda in mundo, sicut de præmio æternæ gloriæ in cœlis augendo velint laborare. Profectò si mediam laborum partem in meritis cœlestibus cumulandis impenderemus, quos mundi, carnis aut voluptatis causâ suscipimus, immensam gloriæ segetem post mortem in cœlis colligeremus.

* *
*

CAPVT XLI.

Testamentum eius.

MAturè testamentum & sanus condiderat, quale Christianum & Ecclesiasticum propriæ salutis amantissimũ decet: vtinam imitatores habeat: mirũ est, eum ne teruncium quidẽ ad ditãdos propinquos (licet eorum seruitia rependerit) pompam funebrem, vel nominis celebritatem adhibere voluisse: sic etiam Executores adiurasse, ne quis honor vel apparatus funebris haberetur mortuo, vel pauperibus hæredibus ideo quidquam detraheretur.

COPIA TESTAMENTI R. D. Iacobi Merlo Horstij Pastoris, B. Mariæ in Pasculo Coloniæ, defuncti, Anno 1644. 21. Aprilis, ætatis suæ 47.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ TRINITATIS, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.

ADuersus certissimæ mortis casus incertos remedium certissimum est, continua mortis semper & vbique imminentis memoria.

moria. Ergo ne illa aliquando me fortè imparatum deprehendat, volui maturè disponere domui meæ, vt qui iam ætate in senium vergente, & debili corporis valetudine indies magis magisq; fatiscente, & crebris quotidie morientium, etiam æqualium, immò etiam annis ac ætate minorum, exemplis, responsum quodammodo vicinæ mortis acceperim.

Sed heu mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus est. Desiderat quidem anima mea ad te, & mori optat morte iustorum, quorum mors sola pretiosa est in conspectu tuo, sed horret nihilominus mori, & egredi timet, vtpote misera & inops, & malè sibi conscia, ob tot annos vitæ, & tot talenta gratiæ diuinitus accepta, sine fruge infeliciter & negligenter deperdita. Vnde non sine causa tergiuersatur & trepidat, cùm tempus istud reddendæ de villicatione sua rationis cogitat.

Verùm quid agis, anima mea, deprehensa inter angustias? cùm visum fuerit supremo illi Patrifamilias te citare ad reddendam rationem effugere aut detrectare non licet, nec vllæ dantur induciæ. Prorsùs parere & confestim comparere necesse est.

Sede ergo priùs, & computa, arripe & euolue librum conscientiæ, subduc rationes. Et si

ſoluendo non es, vti profectò non es; ne tamen deſpera; ſciens quia copioſa eſt apud Deum redemptio, & quia bonorum tuorum non eget, cor verò contritum & humiliatum non deſpiciet. Adde, ſi feceris tibi amicos de mammona iniquitatis, qui, cùm defeceris, recipiant te in æterna tabernacula. Hoc modo faciliùs tibi conciliabis gratiam Patrisfamilias, qui ſibi factum æſtimat, quod vni ex minimis iſtis feceris.

Quapropter, ô ſupreme mundi Iudex, ne intres in iudicium cum ſeruo tuo; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Memento te ideo olim ante iniquiſsimos Iudices ſtantem, iniuſtam mortis duriſsimæ ſententiam ſubire voluiſſe, vt ego æternæ mortis ſententiam euaderem, & coram ſupremo tribunali clementiùs iudicarer. Hoc ſupremum votum & deſiderium meum nunc eſſe deinceps & in extremis fore, coram te & tota cœleſti curia conteſtor, vt me non pro meritis meis, ſed pro inexhauſta miſericordia tua iudices, & clementer abſoluas.

Ecce itaque, mi Domine Ieſu, nunc valens etiamnum ac viuens per gratiam tuam reddo tibi Creatori & Saluatori meo animam meam. Accipe eam, aut potiùs recipe, & educ eam de car-

carcere isto seu corporis custodia, ad confitendum nomini tuo: Accipe, inquam, quando sic visum tibi: nam in manibus tuis sortes meæ, tu solus nosti introitum meum & exitum meum, & numerus mensium meorum apud te est. Vtinam mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo! Vtinam quoque mihi viuere Christus sit & mori lucrum!

Porrò animæ in regionem longinquam ituræ fidos & gnaros viæ Duces ac Comites, immò apud summum Iudicem, Patronos & Aduocatos, adiungo, Beatos cœlestis Curiæ Ciues & incolas, quos mihi iam pridem Patronos singulariter colendos elegeram. Inprimis beatissimam Dei Matrem Virginem MARIAM singularem peccatorum, quorum ego primus sum, Aduocatam, quam doleo, tam languidè ac segniter hactenus coluisse. Item Sanctos cœlestis militiæ Principes, S. Michaëlem, S. Gabrielem, S. Raphaëlem, & præcipuè S. Angelum Custodem. Item sanctissimum Christi Præcursorem Ioannem Baptistam, SS. tres Reges, qui Christum infantem mysticis muneribus ex Oriente honoratum venerunt. Item Apostolici Collegij Principem S. Petrum Apostolum, S. Iacobum Apostolum, S. Ioannem Euangelistam, S. Stephanum Prothomartyrem, S. Laurentium, S. Hu-

bertum & mellifluum mihiq; dulcißimum pariter & dilectißimum, Bernardum, S. Annam Christi Auiam, S Franciscum, S. Catharinam, & quem hodie superioribus addo, & quem mihi in singularem deinceps pro felici morte Patronum eligo, Sanctißimum Ecclesiæ Doctorem AVGVSTINVM, cuius hodie festum diem celebrat Ecclesia.

Hos omnes per pretiosum Christi Sanguinem, eiusq; infinitam gratiam, quo ad supernæ patriæ gloriam felicißimè prouecti sunt, obnixè precor & obtestor, vt cùm iam in portu constituti, securi sint de se, pro me velint esse solliciti, vt & ego illuc superatis diuinâ gratiâ huius magni & turbulenti maris procellis salua naui appellere valeam.

Hæc de præcipua mei parte, id est, anima, cuius si detrimentum (quod auertat Deus) patiar, quid mihi proderit totum mundum lucrari? At si animæ bene est, facilis & leuis cæterorum omnium iactura erit. Attamen de his ita pro Dei gloria disponere visum est.

Corpus meum loco & modo sepeliri omnino volo & iubeo, sicut in peculiari charta designaui.

Cæterùm de bonis temporalibus in multas fundationes aut donationes, seu legata dispertiendis,

riendis, non est cur multum laborem. Monet & mouet S.P. & Doctoris Augustini, cui hæc ipsa dies sacra est, qua hæc scribo, exemplum & paupertas apud Deum ditissima. Is quippe, teste Possidio, moriens testamentum nullum condidit, quia vnde conderet, pauper Christi non habuit. Et ego vnde faciam, parum habeo, & si quid habeo, his debetur, qui nihil habent, nempe pauperibus.

Bonis quidem cumulandis nunquam studui, vti nec decebat facere eum, qui computatus in sortem Domini, ipsum Dominum sortem partemq; suam agnoscit. Habens quidem victum & amictum, his contentus fui; si quid præterea potui impendere ad decorem domûs Dei, id est ad reparationem & ornatum Ecclesiæ meæ, item domûs meæ; si quid ad sustentationem pauperum, imò etiam ad educationem consanguineorum, fratrum, sororum cognatorum, spero me non defuisse, pro viribus facultatum mearum.

Et Deo omnium bonorum Fonti & Authori gratias medullitus ago, quia expensas meas non omnino sine fruge esse voluit, duobus præsertim fratribus meis, meâ curâ & impensâ educatis, & ad Religiosum statum gratiosè vocatis.

Et, vt ad rem denique veniam, Pauperes hæredes meos dico, facio & scribo; modum autem & dispositionem hæreditatis distribuendæ vel reipsa exequendæ, in alia charta separata designabo, quam designationem vel per modum codicilli, vel alio quocunque titulo & modo valere & ratam haberi volo non minus ac præsentem hæredis institutionem, quantumuis forte contingeret, vtrobique deesse solennitates Iuris solitas & requisitas, id est, subscriptionem Notarij & testium, &c.

Sorori meæ N. N. ex hæreditate Pauperibus aßignata vsumfructum reseruo, quousque cœlebs & casta permanserit, iuxta designationem in alia charta notandam.

De Patrimonio meo ita dispono, &c.

De Bibliotheca, Vestibus, Supellectile, ordinationem & dispositionem singularis chartæ exhibebit.

Legata quædam nunc primùm mente concepta, deinceps in alia charta notabo, quæ Testamenti huius mei seu vltimæ dispositionis robore pariter gaudere volo.

Deni-

Denique, potestatem mihi reseruo, hæc mutandi, ampliandi, vel his addendi, & demendi, &c.

Executores huius vltimæ voluntatis meæ nomino, & vt amore Dei & pauperum officium Executionis in se suscipere non grauentur, obnixè per viscera misericordiæ IESV Christi, rogo; nomino, inquam, Ambos Ædiles Ecclesiæ meæ, Dominos & amicos meos longè charissimos; nempe Clariss. D. IOANNEM KINCHIVM Senatorem Vrbis ac Reipubl. Coloniensis, & Clariss. ac Amplis. DD. HENRICVM OECKHOVEN I.V. Doct. Capituli Eccles. Metropolit. Colon. Syndicum, quibus omnia committo; & vt tacitè, sine omni strepitu, omnia expediant, vnicè rogo.

Hæc ego scripsi manu propria, in domo mea, ipsa nocte Festum S. Augustini Eccles. Doct. antecedente, circa horam 11. *Anno* 1642.

IACOBVS MERLO-HORSTIVS,
B. MARIÆ in Pasculo Pastor.

DIS-

DISPOSITIO SEPVLTVRÆ eiusdem R. D. Iacobi Merlo Horstij.

INcertum quo me tempore & loco mors exspectet. Ego itaque omni eam loco & tempore exspecto: Vnde si contigerit per Dei gratiam (quod vehementer desidero) me hic Coloniæ, & in hoc statu mori, circa sepulturam meam hæc, quæ sequuntur, inuiolabiliter & rigidè sine exceptione, vel quacunque alia interpretatione obseruari volo & præcipio.

1. *Ad cauendos inutiles & inanes sumptus, atque vt tantò magis consulatur causæ pauperum (quos, vti alibi, sic & hîc, hæredes meos dico & facio) sine omni pompa & apparatu, corpus meum terræ mandari iubeo, idq; sequenti modo:*

2. *Si contingat me de die mori, eodem die sub vespertinum crepusculum funus meum impositum capulo (quem iam diu paratum domi habeo) & debitè, id est, Sacerdotis habitu, cuius requisita tum in promptu erunt, pro more vestitum, per quatuor validos Studiosos pauperes deferatur ad Ecclesiam meam, idq; per hortum meum rectâ viâ: nec putetur hoc indignum, si mortuus istâ viâ deferor ad templum, quam toties viuus calcaui, immò quâ toties SS. Sacramentum ad infirmos detuli.*

Por-

Porrò funus impositum feretro collocetur 3.
in medio templi ante sepimentum vsque manè; tumba seu capulus tegatur albo laneo panno: accipiatur autem pannus in qualitate & quantitate, qui seruire poßit ad vnam cappam Religiosi Carthusiani, & detur postea fratri meo Florentio Carthusiæ Colon. alumno, vel alteri pro arbitrio Superiorum eius Monasterij.

Ad funus non erit necesse vocare Choros, a 4.
micos, sufficit adesse duos Executores meos. vnum Sacerdotem vel Officiantem Ecclesiæ nostræ cum Custode & Ludimagistro. Alexianos aduocare necesse non est, Crux & duæ faculæ ex Ecclesia acceptæ præferantur per studiosos pauperes.

Si noctu contingat me decedere, deportatio 5.
funeris differetur vsque in finem sequentis diei, & sub noctem, quando ingruunt tenebræ, fiet vt suprà.

Coram funere ter ista nocte legetur totum 6.
Officium Defunctorum more Romano, idq; per pauperes studiosos ex superioribus Claßibus Gymnasij trium Coronarum, per R. P. Regentem (quem desuper singulariter rogatum volo) designandos, singulis vicibus conuenient 12. ita vt seni & seni per choros legant alternatim.

Pri-

Prima statio seu primæ vices legendi officium seu vigilias Defunctorum, erit præcisè horâ nonâ vespertinâ. Secunda statio, horâ duodecimâ noctis. Tertia statio, horâ tertiâ matutinâ. Legent autem singuli distinctè, tardè, clarè, deuotè: quorsum enim animæ meæ murmur istud Psalmorum & precum funeralium, quale, proh dolor! hactenus nimis diu vsque ad nauseam audiuimus? præficiatur singulis vicibus vnus Sacerdos, pius, pauper, modicus, vel Religiosus, si haberi potest, qui lectionem totius officij dirigat: & detur singulis vnus florenus aureus. Cæterùm illis studiosis legentibus officium singulis dabitur Dalerus Imperialis: item panis octo alborum.

7. Postridie seu proximo die post lectas modo præscripto vigilias horâ sextâ cantetur Sacrum pro defuncto cum duobus ministrantibus. Post Sacrum legatur Commendatio, in altaribus lateralibus legantur duo Sacra in singulis. Sacerdoti summum Sacrum celebranti dabitur vnus Dalerus Coloniensis: cæteris 26. alb. ministrantibus 16.

Sic peractis exequiis omnia peracta sunt, quæ pro sepultura mea fieri volo. Statim itaque mandetur corpus terræ, cereum aut aliud quidquam sepulchro ad tempus imponere nihil opus.

De Epitaphio aut incisione lapidis sepulchralis non est cur solliciti sint DD. mei Executores: tantùm hoc vnicè eos rogo & moneo, vt prædicta diligenter, seriò & accuratè obseruari curent, idq; iuxta obtestationem & obiurationem alibi positam, quæ talis est:

Oro & obtestor meos DD. Executores, immò adiuro per Deum Iudicem viuorum & mortuorum, vt modum & ordinem hic à me præscriptum per omnia rigidissimè & accuratissimè seruari curent. Præposteri illi & intempestiui respectus seu prætextus moris, honoris, decentiæ, &c. nullum hic locum habeant; quod alibi sæpiùs contigisse non sine fastidio vidi: De honore Dei, causâ pauperum, & salute animæ meæ potissima cura sit. Heu quàm sæpe ista negligitur, dum cætera ista tam studiosè curantur. Curate quod peto, DD. mei Executores, & habebitis mercedem in cœlis.

Ita ordinaui & scripsi manu propria ego IACOBVS MERLO HORSTIVS B. M. in Pasculo indignus Pastor, An. 1639. ipso Transfigurationis Domini, ingressus in festo S. Iacobi Apostoli 25. Iulij ætatis annum 43. & ex nunc Saluatorem exspecto D. N. IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis meę configuratum corpori claritatis suæ.

IN

IN INFORMATIONE SVPER ſtatu rerum ſuarum, Executoribus ſuis vſui futura, hæc idem piè memoriæ R. D. IACOBVS MERLO HORSTIVS ſcripta reliquit.

1. *TEſtamentum magnum non condidi, quia vnde conderem, non habui, nec habere volui: Beneſeci hactenus, quibus potui, pro tenuitate mea, propinquis & pauperibus. Illis parum relinquere poſſum, his debetur, quod reliquum eſt.*

2. *In ſumptus funerales parum fortè ſuppetet in prompta pecunia: quia nunquam ſtudui colligendæ pecuniæ, ſuppeditent velim DD. Executores, recepturi ex venditione meorum mobilium.*

3. *Studioſè caui à debitis, & hoc ſcire Executoribus expediet: Conſueui hactenus ſingulis annis in Decembri circa finem Anni computare cum omnibus, quibuſcum mihi toto anno negotium eſt, velut Piſtore, Cereuiſiario, Sartore, Sutore, cæteriſq́; ijſq́; ſoluere & ſatisfacere per omnia, & curare ſingulariter, ne quid veteris debiti in nouum annum inferrem. Videantur ipſorum Quitantiæ.* Hæc ibi.

O quàm

O quàm paucos eſt hodie reperire, ſic ſalutis propriæ, ſic inſtantis iudicij & reddendæ Iudici ſeueriſſimo rationis memores? Quàm pauci, dum valent & vigent, ſeipſos ita ſcelerum reos agunt, teſtes ipſi ſibi, iudices & tortores, ne iudicentur à Domino? Rari tales ſibi Patronos adſciſcunt, & dum abundant, amicos faciunt de mammona iniquitatis; vt in pleroſque cadat ea iuſta Moyſis indignatio & optatio: *Gens abſque conſilio & ſine prudentia: vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Qui, dum iam emortuis ferè membris iudicium imminet, tunc primùm condendi teſtamenti, confeſſionis & eleemoſynarum meminerunt: nec obulum quidem pauperibus elargituri, niſi relinquendi neceſſitas premeret: præmonuit huius lectores ſui PARADISI paulò ante mortem, cùm eum augeret: & quæ cura ſcribendæ vltimæ voluntatis, quæ pauperum habenda ratio eſſet, rectè conſuluit: ſed antè conatus eſt opere perficere, quàm ſcriptis conſignare. Sic autem Chriſtum facit hominem inſtruentem: *Maturè diſpone domui tuæ, dum adhuc ſana mens eſt in corpore ſano:*

Deut. 32.

Paradiſ. ſect. 7. §. 6. & 7.

Cōdendū teſtamētū tempore ſanitatis.

Huc

Huc spectat, vt maturè condas testamentum, aliena restituas, liquidas rationes procures. Periculosè hæc in horam mortis differuntur, non sine graui sæpiùs iactura tum animæ tum rei familiaris. O quàm multi hic errant, qui vel ex negligentia, vel ex inani persuasione rem hanc differunt in horam mortis, & tunc primùm rebus terrenis disponendis animum apponunt, cùm terra iam linquenda erat, & cœli salutisq́ potior esse cura debebat: sic enim sollicitudo intempestiua mentem auocat à Deo, distrahit à cura salutis & animæ, & inuoluit curis seculi, adeoq́ tempus vitæ residuum, sed breue & nimis pretiosum, soliq́ beatæ mortis studio tribuendum, miserè perdit.

Quale verò debeat esse testamentum, ita prosequitur: *In condendo Testamento hoc potißimùm cura, vt sit æquum, pium & perspicuum, vt concordiæ sit non litium seminarium. Et inprimis sic dispone de bonis tibi à me conceßis, vt ostendas te dispensatorem eorum à me constitutum esse, non dominum. Sanè, si negligas me, à quo habes omnia, nimis iniquus & ingratus es. Si tibi ipsi nequam es & parcus in animam tuam, cui bonus eris? Optimum sic dispensare bona temporalia, vt non amittas, immò per ea lucreris æterna.*

In eo quæ obseruāda

Do-

Docet deinde, pauperibus in vita potiùs quàm morte benefaciendum esse, cauteq; prouidendum, ne legata pia vanæ laudis intentione vitientur.

Manus pauperum meum est gazophylacium, quod illic recondis, inuenies. Ante mortem itaque benefac amico tuo & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi, amicos autem de mammona iniquitatis tibi fac pauperes, vt cùm defeceris, recipiant te in æterna tabernacula: sed, ô cæca & stulta auaritia mortalium: thesaurizant & ignorant, cui congregent ea: habituri hæredem post se, quem ignorant vtrùm sapiens an stultus futurus sit, & ille dominabitur in laboribus eorum, quibus ipsi desudarunt: an est quidquam tam vanum? Non est magnum, dare pauperibus in morte, quod tecum auferre, aut quo diutiùs frui non poßis, quodq; velis nolis, relinquendum est. Gratam quidem habeo omnem eleemosynam, eo tamen discrimine, vt vnus sæpe nummus viuentis & sani gratiæ mihi sit, quàm centum morientis: nec enim tam censum, quàm affectum ego pondero: is verò quantò maior in viuentibus quàm morientibus, quos ferè relinquendi neceßitas potiùs quàm pia voluntas liberales facit. Quæcumque verò aliis pro te facienda committere

vis,

vis. per teipsum perficere stude: nam si moriens in æternum iueris supplicium, (verba Ioannis Lansbergij) *testamenti tui apparatus, pompa funeralis, eleemosynæ ac sacrificia post mortem quid conferunt damnato? Hæc potiùs, dum viuis, mihi sacrifica, vt non solum à peccatis libereris, sed etiam in gratia mea crescendo ad damnationem non peruenias, sed à peccatis me præseruante liber in bonis operibus ad finem vsque perseueres.* Hæc qui multis ante mortem annis opere compleuerat, iure potuit scriptis suis idem alijs faciendum præscribere.

CAPVT XLII.

Epitaphium.

CYgneam iam Iacobi paręnesin, quam sibi viuens vt vitę regulam concepit, moriturus correxit, & alijs etiam offerri voluit, libet auscultare, Epitaphium dico: quod non tam voluit incidi lapidi funerali, quàm omnium optarit fidelium insculpi cordibus, ideoq; præsentibus in funere distribui, quo cunctis relinqueret testatam vltimam suam voluntatem, omnesq; ad serium salutis proprię curandę studium inuitaret. Id verò est eiusmodi:

EPI-

EPITAPHIVM HOMINIS CHRISTIANI, VITÆ REGVLAM EXPRIMENS.

D. O. M.

Siste gradum, Viator;

HIC TERMINVS VIÆ ET VITÆ TVÆ AC MEÆ.

ILLE EGO, QVI NATVS PRIDEM, AC NOTVS ERAM SÆCVLO;

En denatus hoc iam lateo
nudus nullusq; Sepulcro.

PVLVIS, CINIS, ESCA VERMIVM.

VIXI ANNIS (N) PAVCIS, SI SPECTETVR ÆTERNITAS:

Ad hanc tamen currendum mihi fuit
in stadio fugacis vitæ.

TEMPVS VIVENDI, vt *BENE MORERER*, & *VITAM MERERER IMMORTALEM*,

Dedit mihi, & dat etiamnum tibi clemens DEVS.

ILLIVS, & OMNIVM QVOQVE MOMENTORVM STRICTA à ME IVSTO IVDICI reddenda fuit ratio, VTIQVE ERIT ET TIBI.

VIXI IN EO (N) STATV, AC ID (N) MVNVS GESSI.

Qui mihi HONOS, idem ONVS fuit;
ô molestum & graue!
Miserum, esse qui non CAPIANT;
Mirum, non deesse qui CVPIANT.

 O QVAM

O QVAM ME IVSSIT RIGIDAM SVPREMVS PATERFAMILIAS

REDDERE RATIONEM VILLICATIONIS MEÆ!

SI SAPIS, ET CREDIS AMICO SYNCERE MONENTI,

Huc tu quoque te para Quotidie;

NAM ex meo periculo te cautum reddi;
felicis simul & sapientis erit.

POSSEDI DE TERRÆ BONIS MODICA;

(*Attamen* satis *ad* Vsum Vitæ, satis ad Votum, *quod* NECESSITAS *rexit, non* Cupiditas.)

Etiam horum, ad nouissimum vsque quadrantem reddenda fuit ratio.

Esto. Res ANGVSTA *fuit mihi;*
sed (experto fas est credere)

Sic tutiùs ad AVGVSTA *pergitur.*

O Viri DIVITIARVM thesaurizatis;
& ignoratis, cui!

EGO NIHIL INTVLI IN HVNC MVNDVM, NIHIL EXTVLI.

Quod in Cœlum præmisi per manus PAVPERVM, Inueni; & hoc SOLVM:

Vos similiter, cùm dormieritis SOMNVM vestrum, aliud inuenietis nihil.

O AMICI, VIVITE LÆTI;
AT NON IMMEMORES LETHI:

En quondam lætus vobiscum, vos iam reliqui,
& à vobis relictus,

INI-

INIVI SOLVS ÆTERNITATIS ITER:
QVOD ESTIS, FVI: QVOD SVM, ERITIS;
QVIS SCIT, AN CRAS, AN HODIE,
AN HAC IPSA FORSAN HORA.

Memores estote iudicij mei, sic enim erit & vestrum.

O HOMO BVLLA, QVAM BREVIS HÆC VITA!
QVAM LONGA ÆTERNITAS!
VERE MOMENTVM, VNDE
PENDET ÆTERNITAS;
Æternitas GLORIÆ & POENÆ:
Ad illam VIRTVS ducit;
Ad hanc VOLVPTAS.

ELIGE, SEMEL PERIISSE,
ÆTERNVM EST.

HOC POSTREMVM TE ALLOQVOR.

Desiderans te habere consortem mecum in Terra
Viuentium, vnà cum CHRISTO IESV,
In quo solo SALVS est & VITA Mortalium.

ILLI ô VIATOR VIVE, ILLI MORERE.
ET ÆTERNVM VIVES.

Ante mortem MORI vitijs, mors est optima.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Dignum profectò Epitaphium, quod marmori incisum aureis literis inscribatur, & in latere templi, quod sepulcrum respicit, erectum, incurrat in oculos qui templum ingrediuntur, idque vt DD. Executores testamenti faciundum curent, multi eos obtestantur. Dignissimus eo honore Iacobus est, vt vel sic mortuus viuos hac cygnæa sua Parænesi non desinat memores salutis & nouissimorum reddere.

Vtinam verò beneuolus Lector ex hoc statuat, si non omni hebdomada, saltem in mense vel anno semel accuratè non legere tantùm hoc Epitaphium: sed pia mentis consideratione trutinare, præsertim circa diem natalem suum: tunc etiam consultum est testamentum siue condere, siue conditum renouare, corrigere, perficere: pia legata decernere: nec sibi sequentem annum totum polliceri. Sic non imparatus ex hac vita quis euocabitur, qui sibi quotannis semel saltem mori didicit, omnibus ad mortem rectè comparatis.

Nouit solertissimus animarum venator diabolus, quàm certa sit euasio laqueo-

queorum & retium, (quæ vbique tendit mortalibus) per crebram nouiſſimorum memoriam: quare nullum non mouet lapidem, vt opum, honorum & deliciarum ineſcatos mortales cupiditate, ſic deuinciat, vt irretiti præſentibus nequeant ſurſum ad cœleſtia ſubuolare. Has vt pedicas declinemus, addam à Iacobo noſtro ſpiritualem venationem in Sodalitate Eccleſiaſtico-Mariana Clericis propoſitam, qua viuis depingit coloribus è ſacris litteris petitis ingenium venatoris Diaboli: multiplices eius laqueos Clericis intentatos: Chriſti verò curam & ſollicitudinem vt beneficiorum innumerorum largitione, cœleſtibus ſolatijs, pace, gaudioque bonæ conſcientiæ veris Adæ funiculis ſic animas obliget, vt nulla rei creatæ cupiditas poſſit à Chriſti charitate ſepare.

* *
*

ORATIO PARÆNETICA
Habita à R.D.
IACOBO MERLO-HORSTIO
AD SODALES ECCLESIASTICOS
Ann. 1628. in Profesto S. HVPERTI, & die Commemorat. omnium Fidelium Defunct.

THEMA.

Dicet Domino, Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Psal. 90.

PARS I.

De Venatore Diabolo, eiusq; venatione.

Adm. R^di^, Eximij, Clarissimi, & Venerabiles Domini Sodales Parthenij.



Vm demandata mihi esset paucis ante diebus à R. P. nostro Sodal. Præside hoc die & hoc loco dicendi prouincia, primùm dispicere mecum cœpi, casu an consilio hic ipsa dies mihi ad dicendum obtigisset, vt qui

ipsus

ipsus ad hoc munus me iure propè quodam inuitare ac impellere viderem: Siue enim attenderem primum Ecclesiæ institutum, quo nobis hoc die Fidelium Animarum memoriam proponit, amplum & perutile dicendi argumentum suggeri mihi videbam, vt de hoc Ecclesiasticorum officio ad animarum refrigerium piè ac fideliter exsequendo in hoc consessu verba facerem, quippe qui ex Ecclesiæ ordinatione & pia fidelium liberalitate ad hoc munus singulariter vocari ac destinari videmur, vt animabus fidelium defunctorum quà sacrificijs, quà precibus opem ac suffragia præstemus: Siue hunc diem considerem, quatenus peracto iam Vesperarum officio festiuam S. Huperti memoriam recolit, preclaram quoque mihi videbam dari dicendi materiam. Quidni? Hupertus illustris ille quondam in seculo Princeps & venator, sed longè postmodum illustrior in Ecclesia Sacerdos & Pontifex tot tamq; præclaris fulget virtutum insignibus, vt meritò Sacerdotibus velut exemplum ac speculum virtutis ac pietatis proponi debeat. Quod ergo dicendi argumentum capiam? Prius hoc loco hactenus sat luculenter tractari audiuimus, & doctißimâ pariter & pijßimâ mysterium Missæ explicatione ad deuotam sancti Sacrificij pro viuis & defunctis oblatio-

Ecclesiasticorum officium.

iuuare animas in purgatorio.

Festum S. Huberti Venatoris

lationem instruimur & quasi manu ducimur. Itaque posterius mihi reseruari video, idq; ego volens pro gloria & honore tanti Antistitis, quem vtpote Patronum & tutelarem Ecclesiæ meæ iure veneror, quin & pro amore vestri, Sodales Ecclesiastici, non inuitus arripiam, & & Huperto duci sacram quandam seu spiritualem venationem instituam. Neminem offendet, spero, sed omnes afficiet argumenti nouitas, aut potiùs excitabit vtilitas: Ostendam enim quantum nostra intersit, Venatores huius mundi eorumq; mores ac studia probè nosse; & veram nobisq; dignam venandi artem intelligere.

Inuitat ad spirituale venationem instituendam.

I. Cogitanti mihi, quid sit hic mundus, in quo velut exules & peregrini à cœlesti patria degimus, videtur rectè vastum quoddam desertum ac horridam syluam posse appellari, in qua omnis generis feræ ac bestiæ immanes vagantur. Hoc porrò desertum suos quoque venatores habet: eorum duo sunt, Deus & Diabolus, vterque animas, sed artibus studijsq; multùm disparibus venatur: hic charitate, ille odio omni ac crudelitate ad venandum agitur: Hinc malignus Dæmon Princeps mundi huius ab ipso Christo vocatur, & Christus orbis reparator ac dominus, conditor ac moderator nominatur: hi ambo

Mundus desertū est.

Duo mundi venatores.

bo ſunt primarij ſeu principes, qui venandi ſibi ius in hoc mundi deſerto, quamuis non pari iure vendicant. Ambo ſuos quoque vicarios, & velut ſubordinatos miniſtros habent, quorum operâ & miniſterio ſuas exercent venationes.

Et quidem Diabolum venatorem dici, quis miretur? Princeps *quippe, vt dixi,* mundi *dicitur: Principibus verò ius venandi competit. Et ſi artes & ſtudia venatorum attendere libet, meritò venatorem dici apparebit. Quid enim? aſpicite venatores, quo ſtudio ac labore innocuis pariter ac nocuis animalibus parent inſidias, diſponunt laqueos, retia tendunt, foueas occultè præparant, per ſaltus, arbuſta, dumeta, ac inuia quæque pergunt, vt beſtiolam aliquam in ſuam poteſtatem redigant, ac miſeram deinde mactent, aut tractent ad libitum; & quamuis plerumque fruſtrentur ſpe ſua, inanes laßiq; ac malè paſti domum remeent, non ideo venationem valere iubent, velut fracti laboribus aut fatigati ſumptibus; quin potiùs noua ſemper ad venandum ſpe, noua alacritate, nouo deſiderio rapiuntur. Semper illis aliquid craſtina promittit dies, quod hodierna negauit. Hæc mecum perpendite, & an non hæc, reipſa maligni venatoris ſtudia ac mores adumbrent, vos ipſi cogitate.*

II. Diabolus venator.

Non est totus in faciendis laqueis, struendis insidijs & hominibus capiendis occupatur; vix vt credi possit, quanto desiderio teneatur capiendi animas, quàm indefatigabili labore in eiusmodi venationem incumbat? Sed audite
1. Pet. 5. *Apostolum id luculentiùs exprimentem:* Fratres, sobrij estote, ac vigilate; quia aduersarius vester Diabolus tamquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.
Similis leoni rugiēti
Fingite vobis Leonem dierum aliquot inediâ laborantem, & qua ille rabie obuiam fortè prædam insequitur, rapit, lacerat, & in viscera condit, eadem & longè maiore crudelitate Diabolum animas persequi & perdere velut in typo cogitate: vt non possit commodiùs venatoris illius ardor & rabies, quàm titulo leonis rugientis exprimi.

Quid mirum? ingens superbia illi magnam præbet audaciam: odium verò ingens humanum eius crudelitatem acuit, naturalis astutia ac intellectûs subtilitas auget vires, ac tot annorum experientia fiduciam illi vincendi ac venandi feliciter præstat: vnde & vni huic operi velut trahente voluptate peruigil, ac infatigabilis insistit, cibi, somni, alteriusve negotij curâ, vtpote corporis expers, non tangitur, quominùs dies noctesq; venationi suæ vacet.

Quis tam callidi ac truculenti venatoris ex-positus insidijs non metuat? quis non horreat? quis de salutis præsidijs non cogitet? Sanè vt ad salutarem metum ac sollicitudinem nos excitaret Apostolus, graphicè huius venatoris vafritiem ac potentiam describit: Induite ergo vos, *inquit*, armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli; non enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes ac Potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *O quàm multa his verbis indicantur, quæ hos venatores potentes admodum ac crudeles nobisq; formidabiles faciunt, aduersus quos tamen nobis ipsis fragili carne circumdatis est depugnandum.* 111. Crudelis ac callidus. Ephes. 6.

Quamobrem hic infernalis venator ijs passim titulis & nominibus in S. Script. describitur, quæ non nisi metum ac horrorem spirant: veluti sunt, Draco, Serpens, Aspis, Basiliscus, ac similia. Dominus ipse apud Iob horribilem Dæmonis formam depingit. De ore, *inquit*, eius lampades ignis procedunt, sicut tæda ignis accensa, de naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ & feruentis: halitus eius prunas ardere facit, ac flamma IV. Horribilis descriptio eius. Iob 41.

de ore eius egreditur. *Deinde subdit:* Non est potestas super terram, quæ comparetur ei; qui factus est, vt nullum timeat: omne sublime videt, ac ipse est Rex super omnes filios superbiæ. *Meritò ergo clamat*
Apoc.12. *Angelus in Apocalypsi:* Væ terræ ac mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam. *Sed quorsum hæc? nimirum vt cognitâ hostis nostri & infernalis venatoris potentiâ, seriò cogitemus, qualibus præsidijs, quàm sollicitè nos aduersus tantam rabiem muniri oporteat.*

Nouerat hæc vtique S. Propheta Dauid, ac hinc meritò Deum, velut salutis & libertatis suæ vindicem, quasi exultans præ gaudio, grata mente & deuota prædicat, dicens: Quia ipse liberauit me de laqueo venantium.

V. *Quos illaqueare tentet.*

Vt ergo idipsum & nos meliùs cognoscamus, pergamus vlteriùs, & videamus, quas qualesve feras hic potens & ferus venator artibus laqueisq; suis impetere audeat: nimirum escæ tam potentis venatoris & Principis mundi huius non est, teste Iob, vulgaris & vilis, sed Electa, *vnde pijßimos & sanctißimos quosque aggreditur. Ecce Iob virum illum innocentem & vel ipsum Dei testimonio rectum ac timentem DEVM, attamen quot artibus insidiisq;*

Electos.

Iobum.

tru-

truculentus ille venator eum exagitat? Sic vas Electionis Paulum vehementer impetijt, aduersus quem angelum Sathanæ, id est scelerum inuentorem destinauit, qui eum continenter vexaret; tanta enim eius erat superbia, vt ne illum quidem desperaret posse capi, qui iam pridem aërijs potestatibus sublimior in tertium cœlum conscendisset. S. Paulũ.

Antonium quoque inuictum illum Athletam quàm acriter pressit, quot illi laqueos, quot retia tetendit, ac quamuis diuino fultus robore Christi pugil ex acri quodam certamine Diaboli fraudes fortiter elusisset; non tamen, vt inquit Athan. Antonio securitatem vincendi vnus dedit triumphus, nec Diaboli semel fracta defecere vires. S. Anton.

Verùm audite ac obstupescite, qualem in deserto prædam truculentus ille venator capturus abeat: Ductus est IESVS in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo, *nempe hoc omnem superat admirationem, quòd ipsum Angelorum Dominum, ipsum cœli terræq; Regem, quem cœlesti testimonio Filium Dei esse audierat, laqueis suis irretiri posse non desperaret. Viderat aliquoties hanc feram robore & viribus præpotentem disrumpere laqueos suos, non cessat tamen, sed nouas illi fraudes,* Christum Iesum.

nouam audaciam insita nocendi libido sugge-rebat: tantum scilicet de naturæ nostræ mutabilitate sibi promiserat, vt quem verum experiebatur hominem, præsumeret fieri posse peccatorem.

Leo Papa.

Quod si ita est, quis nostrûm huius tam audacis ac callidi venatoris artes non metuat, qui tam impares congredimur Achilli? qua non confidentia vermiculos ac velut locustas aggredietur, qui Dominum Maiestatis tentare ausus est? Hæc quotidie legimus, audimus & scimus, & tamen non desunt, qui ducunt in bonis dies suos, qui otio & ignauiâ diffluunt, viuunt securè & splendidè, carnis delicias & oblectamenta quærunt, sæculi mores & luxum sectantur? quid est hoc aliud, quàm hostem & venatorem tam potentem ad arma lacessere, immò quid aliud, quàm ipsi laqueos & arma in nostrammet perniciem ministrare?

VI. Qualibus laqueis vtatur.

Quod quidem vt tanto maiori curâ & sollicitudine fugiamus, non erit abs re, si, qualibus laqueis crudelis ille venator vtatur, dispiciamus, quis verò laqueos illos enumerabit? tanta illorũ multitudo est, vt Ecclesiastic⁹ dicat nos in medio laqueorum ingredi, Propheta Regius eos pluuiæ ex aëre in terram cadenti comparet, cuius guttæ omnem numerum excedunt: Pluet,

Eccl. 9.

im-

inquit, super peccatores laqueos. In via hac qua ambulabā, absconderunt superbi laqueum mihi. *Beatum sanè Antonium ferunt quadam vice aërem laqueis vndiq; plenum vidisse, ac ille quidem insitatum miratus spectaculū intellexit, laqueos esse venatoris infernalis, tot inquam fraudes, tot artes ac machinas, quibus nos Dæmon secum trahere nititur in perditionem. Verè quocunq; nos vertimus, laquei sese ingerunt; quid enim sunt tot occasiones mali, tot conuersationes periculosæ, tot colloquia praua, tot peccandi pericula, nisi laquei Dæmonis? quos ille vigilantibus & dormientibus, edentibus & bibentibus, loquentibus ac tacentibus tendit? Mira est, attamē vera Sapientis sentētia:* Creaturę Dei, *inquit*, in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium: *vel vt Græcus habet textus, εἰς παγίδα, i. in laqueum defixū. Indicatur his verbis, inquit Lorinus, scribens in hūc locum, Dæmones tanquā venatores laqueos ac tendiculas ponere, quibus incautos improuidosq; capiant, creaturarum dulcedine illiciendo. Rectè quidem, non n. noxiæ sunt hōi creaturæ, conditione naturæ suæ, aut voluntate Conditoris, sed malitiâ & inuidiâ Dæmonis, qui diuina beneficii dolo inuidiæ suæ in animarum nostrarum veneficia conuertit.* Tri-

Psal. 142

Oīa plena laqueis.

Sap. 14.

VII. *Triplicia bona.* *Triplici quidem ordine bona distingue, aliæ bona naturæ, alia bona fortunæ, alia bona gratiæ; quæ omnia in nos tam liberali manu effundit diuina bonitas, vt his in laudem Authoris & donatoris tam benefici vteremur, sed prô dolor his ipsis sæpiùs ad iniuriam & contumeliam tanti benefactoris abutimur. Quàm multis naturæ bona, velut ingenij acumen, iudicij vigor, memoriæ firmitas, linguæ facundia, corporis decor, & virium robur, vitæ longæuitas fuerunt occasio ruinæ, laqueus perditionis?* *Naturæ.*

VIII. *Fortunæ.* *Fortunæ quoque bona, id est, diuitias & opes huius sæculi, inter diaboli laqueos accenseo; imò non ego, sed Apostolus:* Ecce qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, ac desideria multa inutilia ac nociua, quæ mergunt hominem in perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas. *Quid apertius?* Multos sanè, *teste Sapiente*, perdidit aurum & argentum, *multi dati sunt in auro casus.* à minimo enim vsque ad maximum omnes auaritiæ student, *Isaia teste. Hoc laqueo Iudam cepit, qui lucro ex proditione Magistri acquisito malè gaudens laqueo sese suspendit, & Diaboli præda factus est. Hoc laqueo cepit Simonem Magum, qui, quod gratis dari* *1. Tim. 6.* *Opes*

aut

auit accipi debebat, pecuniâ poßidere tentauit. *Verè* beatus vir, qui inuentus est ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in theſauris pecuniæ; ſed quis eſt hic, & laudabimus eum?

Sed & Honores & dignitates huius ſæculi, IX. *ô quàm multis laquei mortis & perditionis æternæ fuerunt!* Sicut perdix, *inquit Eccleſ.* *Honores.* inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborum. *Hinc Apoſtolus diligenter monet Timotheum, ne ad Epiſcopatum proueheat Neophytum*, ne in ſuperbiam, *inquit*, elatus, in iudicium, in opprobrium, ac in laqueum incidat Diaboli. *Hoc laqueo ipſe Dæmon captus eſt, & hinc vim eius intelligens, libenter hoc laqueo vtitur, vt quo ſcit homines velut honoris & eminentiæ cupidos facilè capi poſſe, & in eundem interitum trahi, nec ſanè dubitauit Chriſtum ipſum hoc laqueo & hac eſca tentare. propoſitâ enim ante oculos mundi gloriâ, cunctiſq; eius opibus & regnis:* Hæc, *inquit*, omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. *O quot feras, quot (inquam) animas duobus hiſce laqueis honorum & opum infernalis venator capit, quàm feliciter illi cedit his duobus laqueis inſtituta venatio? quàm multos trahit ad infe-*

ros.

ros: immò homines ipsi, vt se verè bestias, id est, insipientes ostendant, gaudent his laqueis irretiri: dolent expediti, & quod miserius est, certatim currunt ad laqueos, & inuident captis, qui capi non potuerunt.

X. Gratiæ bona. Iam verò & ipsa gratiæ bona hominis, agente id dæmonis malitiâ, in laqueum conuerti quis crederet? id tamen non rarò contingit, si enim videat malignus venator, se non posse à bonorum operum studio piorum mentes auocare, ipsius operis intentionem, à qua potissimùm eius integritas pendet, corrumpere nititur, quod si ne hoc quidem assequitur, superbiæ & arrogantiæ laqueos iniicit, vt homo sibi complaceat, ac præeminentiæ & sanctitatis opinione blandiri incipiat: nam cùm alia vitia vitijs nutriantur, superbia eiusq; filia ambitio, & inanis gloria virtutibus ipsis pascitur & insolescit, cùm solis virtutibus laudem & gloriam deberi intelligat, hinc fit non rarò, vt qui longo tempore fideliter Deo seruientes, & virtutum opera non segniter exercentes omnia iam propemodum pericula euasisse videbantur, in hunc quasi postremũ Diaboli laqueum incauti & imprudẽter impingãt. Verùm breuiùs hæc persequor quàm fuerat instituti ratio, prolixiùs quàm patiatur temporis angustia: itaq; modum venandi illius maligni venatoris paucis ostendamus.

Et quidem illius venandi modum pulchrè describit Gregorius: Priùs, inquit, cõplexionem vniuscuiusq; aduersarius noster perspicit, ac tum tentationis laqueos apponit, alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit, quo ergo aduersarius occultiùs eos facilè capiat, vicinas cõplexionibus deceptiones parat. Quemadmodũ n. aucupes varijs escis vtũtur pro variæ auiũ natura, quas illaqueare cupiunt, ita callidus hostis, diuersis malorum irritamẽtis ad illaqueandas animas pro varijs hominum ingenijs vti solet, eos n. homines qui more pecudũ viuũt, vilissimis carnis voluptatib. ad quas pecudũ more rapiuntur, inuitat; alios verò carni minùs deditos pecuniæ desiderio inflammat, generosiores verò, qui pecuniâ neglectâ gloriæ student, ac populari magis aurâ pascuntur, ambitionis ac superbiæ laqueo inuadit: cæterùm pios homines & virtutis amantes frequẽter sub imagine virtutis incautos decipit: facilè enim ijs est huius venatoris laqueos agnoscere, cùm detectâ facie ad manifesta crimina impellit, at cũ speciẽ virtutis ostẽtat, facilè virtutis amãtes illaqueat, sic & venatores, vt faciliùs certas quasdam feras capiant, ceruorum sibi terga obuoluunt, aut viridi veste, aut plumatis tuniculis amiciuntur:

XI. Modus venandi.

an non simili ratione Princeps *ille* tenebrarum *sæpiùs transfigurat se in Angelum lucis, non nisi virtutis ac honesti speciem præse ferens, vt simpliciores & improuidos hac arte trahat in laqueum & perditionem?*

XII. *Cura effugiendi laqueos.* *Quæ cùm ita sint, & tam immanis ac potentis venatoris insidijs exposita sit vita nostra, qui nos tot laqueis, ac tanta calliditate dies noctesq; persequitur: an ne hic locus aut tempus est dormiendi, ridendi, iocandi & lasciuiendi, an non potiùs vigilandi, & totis viribus vocibusq; clamandi ad Dominum:* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, Libera me, Domine, de ore Leonis, ac de cornibus vnicornium humilitatẽ meam, Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem, Ps.140. *Verè ille felix ac beatus dici meretur, cui cum Propheta dicere concessum est:* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

XIII. *Exẽplo S. Huberti.* *Potuit id quidem sanctus Antistes noster Hubertus iure merito dicere, vtpote qui sese ope diuinæ gratiæ ab omnibus his laqueis feliciter expediuit: Mox enim, vt desertis gentilitatis erroribus Christo nomen dedit, illustrem sæculi prin-*

Principatum & mundi gloriam contempsit, opes & bona pauperibus distribuit, ne vllis inimici teneretur laqueis, quo minùs Christum sequeretur, & Deo vacaret. Itaque cùm Romam pietatis ergo viseret:, & Sergius Pontifex Rom. intellecto Lamberti decessu, dignum tanto Præsule in Tungrensi Cathedra successorem quæreret, Hupertus diuino iudicio tanti honoris apice dignus est proditus, quem ille tamen constanter planè recusans, postmodum tamen inuitus & quasi coactus accepit.

In hoc verò vitæ genere totum se Deo & proximorum saluti dedit ieiunijs vigilijs, orationibus instantissimè incumbens, docendo, visitando, nulli vnquam labori pepercit, & qui antea in sæculo feras venari solebat, iam venator hominum factus, studio Religionis ac amoris Dei succensus, longè ardentiùs feras venatur Christo mactandas, id est, Brabantos iam tum Idololatras efferatis moribus viuendi ratione parum bestijs dissimiles, Christiana religione, charitate & mansuetudine imbuit, & quidem vt diaboli laqueos declinare oporteat, tum doctrinæ monitis, tum vitæ suæ exemplis ostendit. XIV.

Venatio honesta ac licita Clericis quæ.

O præclara, Deoq; chara, & nobis, ô Ecclesiastici, digna venatio! alia quæ feras in campis ac syluis persequitur, Conciliorum & Canonum de-

decretis, Clericis prohibita est, vt videre licet apud Gratianum, cap. Quorundam, dist. 34. in Concil. Aurelian. decretali, cap. Episcoporum, in Concil. Vien. & habetur in Clement. de statu Monach. denique in Concil. Trident.
16. cap. *Sess. 24. de Reformat. Eadem malè quoque in Scripturis audit. Vnde Hieron. in Psal. 90.* Penitus in Scripturis sanctis sanctum venatorem non inuenimus. *At hæc venatio sancta est, ad quam vos duce Huperto inuito: hæc est illa venatio, de qua Dominus apud Ieremiam loquitur:* Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum, *quem locum eleganter ac appositè ad nostrum institutum explicat P. Cornelius à Lap.* Mittam eis venatores, id est, viros Ecclesiasticos & Religiosos, qui omnes homines etiam feros, vti Indos, Brasilios, Peruanos, &c. in montibus & cauernis ferarum instar habitãtes venantur, vt Christo mansuefaciant: *tales olim venatores fuerunt Apostoli, & qui Apostolorum vestigia secuti sunt, Lambertus, Hupertus, Xauerius, aliiq; innumerabiles: talium venatorum plena est omnis antiquitas.*

XV. *Sed reflectamus oculos, & nostrorum temporum*

rum faciem contemplemur, ô quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Dolens gemensq; dico, Sodales Ecclesiastici, qui Legatione pro Christo fungimur, qui feras, id est, homines bestiales venari & è laqueis maligni venatoris expedire debemus, ipsi laqueis eiusdem tenemur implicati. Recolligite paulisper animo, quos antea descripsi laqueos, & an minùs in Clero, quàm in populo sæuiant, vos ipsi iudicate. Quid de auaritiæ laqueis dicam? quos nominare pudet & piget. quid de ambitione, id est, de effræni illo captandi honores, prælaturas & dignitates studio loquar? quàm pingues hoc vno laqueo prædas in Clero capit crudelis ille venator? *Temporis nostri miseria.*

XVI. Olim quidem sanctissimi viri & dotibus omnibus ad regendum idoneis ornatissimi ad Ecclesiæ primatum & ad sacras dignitates timidè veniebant, anxij, imò & inuiti trahebantur, nunc videas permultos, qui cupidè inuolet, & qui inuitas (vt ita dicã) Ecclesias omni ad se cura ac contentione trahere non dubitent. Ecce Episcoporũ illud lumen S. August. Adeo, inquit, timebam Epatũ, vt qm̃ cœperat esse iã alicuius momenti inter seruos Dei fama mea, in quo loco sciebã nõ esse Epũ, nõ illo accederẽ; cauebã aũt hoc, & agebã quantũ poteram, *Sancti viri olim honores fugiebant.*

vt in loco saluarer humili, & non in alto periclitarer.

D. Gregorius quas non quæsiuit latebras, quid non fecit, vt summi Pontificatus apicem fugeret? & nisi fulgentis de cœlo columnæ indicio deprehensus fuisset, nunquam ad illam sedem peruenisset. Mitto S. Ambrosium, S. Martinum, S. Hupertum, aliosq; innumeros, tam studiosè ac sollicitè præfecturas & curas Ecclesiæ fugientes, quàm nunc auidè à multis quæruntur.

& pluralitatem beneficiorũ.

Et illi quidem, etsi diuino nutu vnius tantùm Ecclesiæ, vnius Episcopatus curam susciperent, gemebant, tremebant, querentes, quòd impares tanto oneri ac curarum moli humeros submitterent, imò si quando secum tanti muneris difficultatem ac pericula perpenderent, velut subito horrore ac stupore tenebantur attoniti; illi, inquam, qui orationi instantes erant, quibus hoc vnicè propositum erat, aut cum Deo, aut de Deo loqui, docebant, scribebant, prædicabant, vigilabant pro salute populi, & pro commissi sibi gregis custodia se totos & omnia lubentes impendebant. Nunc verò curritur ad Ecclesiasticas Curas, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cùm ad Curas peruenerit. Videmus enim nunc paßim multos,

non

non vnius tantùm, sed plurium Ecclesiarum Cura grauari, & interim tamen in magna securitate viuere, otiari, ludere, stertere, venari feras, non animas, & congerendis studere diuitijs, nec vllam tam formidandi muneris sentire difficultatem, non angi periculo, nec vllo reddendæ tandem rationis metu turbari. Liberè, sed verè S. Bernardus, scribens ad Eugenium, loquitur: Altiorem sortitus es locum, sed non tutiorem. Terribilis prorsùs, terribilis est locus iste, vbi sedet potiùs egregius Magister, qui docuit terrena calcare, qui excussit manus suas ab omni munere, qui dicebat de corde puro, ac conscientia bona: Argentum & aurum non est mihi.

XVII. *Monendi libertate opus.*

Optandus esset hoc sæculo in multis Bernardi zelus ac parrhesia, seu loquendi libertas: nam habentibus omnia, sæpe deest, qui veritatem dicat: sed an verum dicere ac docere nefas erit? Erit sanè, si mores sæculi ac hominum iudicia spectes. Dicat tamen liberè & intrepidè, quisquis Dei fauore contentus pro amore & honore veritatis inuidiam contempsit; dicat, inquam, & in vitia, non in homines aculeum figens: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. *Qua enim conscientia Vos Curas Curis, Ecclesias Ecclesijs, bene-*

Contra ambientes plura beneficia.

beneficia beneficijs cumulatis? Vos qui pauperis Christi Ministros vos esse dicitis, eiusq; patrimonio viuitis, qui & habentes victũ & amictũ contenti esse iubemini? vos qui statum profitemini, cuius honor & integritas mundi opũq; cõtẽptu & cœlestium bonorũ desiderio potissimũ constat? an vnius forsan Ecclesiæ, ac paucarũ animarũ cura non sat periculosam apud supremũ tribunal causam vestrã non faciet? Verè p multa beneficia itur ad multa supplicia, sed hic mentitur iniquitas sibi, ac auctoritatis dignitatisq; prætextu splẽdidius lautiusq; vitæ gen⁹ sibi licere persuadet. Verũ erratis, ô Ecclesiastici, qui externarũ rerũ apparatu ac põpa auctoritatẽ quæritis: Hæc est prudentia filiorũ huius seculi, Regum ac Principum terræ, dignitatis titulo vestiri, mollibus indui & purpura ac bysso; epulari quotidie splendidè, magnos post se trahere famulantium greges, diuitias ac gloriam suam ostentare; at verò filiorum Ecclesiæ, cuius gloria ab intus est, id est, Ecclesiasticorum, qui selecti de populo longè alias viuendi leges profitentur, est, non hic conformari huic seculo nequam. Illorum est modestè se gerere, ac dignitatem suam charitate, zelo, prudentia, pietate, modestia, cæterisq; virtutibus magis, quàm externo splendore

& exter-...um splẽ-dorem.

...nternus ...st ornat⁹ ...cclesiæ.

dore tueri. Hac humilitatis Euangelicæ, ac Christianæ moderationis professione plus sibi amoris & honoris apud homines, quàm magnifico famulitio, aut regiæ mensæ splendore, aut vestitu vario ac luxurioso sibi conciliarent, nimis enim fragili fulcro nituntur, qui rebus tam inanibus Hierarchicam dignitatem fulciri putant.

Maioribus vtique ac dignioribus præsidijs sacra illa Ecclesiæ Maiestas, id est, fide, ac vitæ meritis, vt inquit Canon Concilij Quarti Carthaginensis Africani, stabiliri debet. Respicite priscos illos Ecclesiæ Patres ac Antistites summis infimisq; gratos ac honoratos, quorum scilicet auctoritas ipsis Regibus & Imperatoribus admirationi & terrori fuit. Quid S. Ambrosium Theodosio, quid Augustinum Gratiano & Valentiniano, quid Annonem Coloniensem Antistitem Henrico, quid Heribertum Ottoni tanta auctoritate venerandos ac formidandos reddidit: nimirum illos virtus orbi suspiciendos ac Aulis venerandos fecit, frugalis vita Principibus gratos & amabiles, ipsa Christi humilitas in eorum moribus clarè resplendens omnibus fecit honorandos, ac exosculandos, nihil frugalitas gloriæ detraxit; nihil honori

quem secťati SS. Episcopi fuerūt terrori Imperatoribus
S. Ambrosius.
S August.
S. Anno.
S. Heribertus.

nori modestia, nihil simplicitas Authoritati derogauit: quæ quidem dignitatis tuendæ ratio, si multis hoc tempore magis cordi esset, facesseret mox exitialis illa honorum ambitio, ac opum furiosa cupido concideret, exularet zelus ac contentio, coniungerentur omnes in vinculo pacis ac charitatis, & contritis inimici venatoris laqueis, ad sacræ & cœlestis venationis studia alacriùs & expeditiùs pergeretur.

Votum S. Bernardi Quis mihi det, *vt verbis Bernardi loquar,* votum meum exprimere? quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis? quando Apostoli laxabant in capturam non argenti, vel auri; sed in capturam animarum? Quando Pastores Ecclesiæ pascebant non semetipsos, aut canes, & equos: sed oues Christi assidua sollicitudine curabant: nihil vanitati, nihil mimis, ludis ac nugis impendebant; sed velut Ecclesiæ fideles Oeconomi, imò patres pauperum, quidquid supererat frugali & hospitali alimoniæ, id omne pauperibus liberaliter erogabant: *Mitto exempla sacra, vnum laudabile omnino, ac imitabile Amedei Ducis Sabaudiæ, non possum, quin memorem: Ipse, teste Munstero, externis*

ternis Oratoribus canes ipsius venaticos videre poscentibus, mendicos totius vrbis produci iussit, dicens: Hi sunt canes mei venatici, quos quotidie alo, ac quibus me cœlum venaturum confido. *Verè cœlo dignus venator. Remanent in sæculo cuncta, quæ sunt sæculi, sola misericordia comes est defunctorum.* Nec *memini, inquit, ni fallor, Hieron. mala morte obijsse, qui libenter opera misericordiæ exercuit: sed quàm amarum aliquando est nonnullis accepisse* panem filiorum, & misisse canibus, *quàm triste ac lugendum pauisse canes, equos, accipitres, quibus Dominus oues suas pascendas commiserat, dicens:* Pasce oues meas, *ipsi verò pauerint semetipsos, & canes maiori cura & sollicitudine, quàm oues Christi sanguine redemptas.*

Ducis Amedei canes venatici erant pauperes.

Temporum iniquitate iam diu premimur, sed magna nobis affulget spes meliorum: confidimus tranquilliorem breui fore Ecclesiæ & Imperij statum: putamus mox conflandos gladios in vomeres, ac lanceas in falces conuertendas: O vtinam spem prouehat, ac votis annuat Arbiter Mundi DEVS: sed spem illam vehementer labefactat, adeo neglectus in Clero præsens, pietatis vigor & Canonum vigor: Seruentur Canones, & cessabunt

Pro pace obtinẽda.

hæreses, *aiebat Adrianus VI. Pontifex: sed & cessantibus hæresibus quid interest fidei an morum corruptela homines ad interitum trahat? quid ergo? viuat Clerus, & qui in Clero præsunt, Apostolicè, iuxta Canonum & Conciliorum statuta mores vitamq́; componant: militent Deo, nec se implicent negotijs sæcularibus: sint irreprehensibiles, sobrij, casti, nec turpis lucri cupidi,* Exemplum sint Fidelium in verbo & in opere, *tunc demum redibunt aureæ & diu exspectata secula: tunc pietas ac prisca fides reddita iuuentute & resumptis lacertis efflorescet. Aliàs vereor, ne inani nos spe solemur, & frustra meliora speremus tempora, si in melius nostri non mutentur mores: an fallor, pro meritis ac moribus hominum Deus vt beneficia sic & supplicia dispensat.*

Opus Cleri reformatione.

Iam verò morum corruptio sic & correctio vt plurimum à Clero pendet: est enim sicut Sacerdos ita & populus: *ergo pij, probi & casti sint in Clero mores, integritas præsidentium salus est subditorum, vt loquitur Concil. Trid. conemur, vt finem iungam principio, conemur omnes dæmonis laqueos procul à nobis repellere, vt dicere nobis liceat cum Propheta:* Susceptor meus & refugium meum ac DEVS MEVS, sperabo in eum, quia ipse liberauit me de laqueo venantium & à verbo aspero.

Sequetur populi conuersio

Restabat altera Pars venationis nostræ de Christo venatore simili modo ac methodo expedienda. sed temporum angustia vetat, ad illam itaque vos aliàs inuito, interim conemur nos expedire àlaqueis maligni, & tantò faciliùs capiemur zelo & vinculo charitatis Christi Saluatoris.

II. PARS ORATIONIS.

De sacra venatione Christi.

AD sacram & spiritualem venationē nos nuper festiua dies S. Antistiti Huperto sacra opportunè vocauerat. Eius Partem priorem pro modulo virium iam pridem absoluimus: Alteram nunc promissi memor expediam.

Quod quidem vt tantò faciliùs fiat, necesse erit priorem venationis nostræ partem seu potiùs typum & sciagraphiam quandam paucis in memoriam reuocare. Diximus enim mundum hunc quasi vastum quoddam desertum esse, in eoq; duos potissimùm venatores reperiri. Vnus est malignus Dæmon, qui à Christo Princeps huius mundi vocatur. Alter est Christus mundi redemptor ac Dominus. Ac ille quidem pro vehementi odio in genus humanum, crudeli ac rabiosa fame venatur hominum animas, ac varijs innumerisq; laqueis (velut ca-

ducis terræ bonis, opibus, honoribus, voluptatibus, curisq; ac vanitatibus sæculi, plurimos hominum fraudulenter capit, secumq; in perditionem trahit.

Christus venator animarũ

Sed agedum nunc alteram producamus venationem, & illi maligno parallelos opponamus, qui nos liberet de laqueo venantium, & à verbo aspero: Christum, inquam, Saluatorem, qui ad hoc descendit de cœlo, vt dissoluéret opera Diaboli, & genus humanum, quod iam diu laqueis maligni venatoris captum tenebatur, eriperet, sibiq; in perpetuum sociaret.

Porrò quàm rectè ac meritò Christum venatorem nuncupemus, facilè agnoscet, quisquis venatorum mores, ingenium ac studia cognouerit. Oportet quippe venatores esse homines laborum patientes, nec otio & ignauæ quieti deditos, sed duris assuetos. Vtpote quibus frequens cœli inclementia & aëris iniuria perferenda, fames sitisq; & varia incommoda superanda sunt: Pernoctant, inquit Cic. in Tusc. Venatores in niue, in montibus vri se patiuntur. Vnde quibus mollis & delicata viuendi ratio nimium placet, minùs ad venationem censentur idonei. Sed ad hæc omnia sufficit verus amor, id est, vehemens ad venationem affectus & desiderium: Omnia enim vincit amor,

2 Tuscul.

amor, & ipsa sæpe difficultas animum ad laborem acuit.

Videmus enim sæpiùs, quomodo montes & rupes prope inaccessas superent, fossas vallesq; transiliant, inuia quæque penetrent. Sic Maximilianum Cæsarem ferunt aliquando tanto ardore feram insecutum, vt curriculo rupem ascenderit, vnde postea nonnisi ab accolis adiutus descendere potuerit.

Videmus alios Principes & Magnates venandi ardore descendere procul à suis sedibus & palatijs, dies aliquot vagari per saltus & nemora, diu noctuq; morari sub Ioue frigido, vile stratum, victum facilem, & sine arte mensam non respuere, incommoda varia libenter subire; tantum valet amor & ardor venandi.

Sed à venatoribus sæculi ad venatorem cœli, id est, Christum Saluatorem transeamus; quanto ille amore, quo desiderio venationem suam, id est, opus salutis nostræ prosecutus est? quanta fuit illa vis amoris, quæ hunc venatorem ex ipsa cœli arce & solio æternæ maiestatis in hoc mundi desertum, & hanc lachrymarum vallem deduxit, vt venaretur animas nostras Diaboli laqueis irretitas? Venit enim quærere & saluum facere, quod perierat. amat eos.

O quæ hunc venatorem cura sollicitat? quot

se laboribus cruciat? quot itinera conficit? Videas illum modò à Galilæa in Iudæam ambulare, vicos & castella circumire, nusquam sibi parcere, nullam sibi quietem imperare, vndique discurrere, ac feras, id est, animas peccatorum peruestigare.

Desiderio earũ oĩa perfert. O *mirum venandi zelum, ô ingens desiderium! rerum omnium Conditor, Solis ac siderum fabricator, nostri causâ creaturarum iniurijs obnoxius fit, æstu Solis vritur, frigore constringitur, ventis agitatur, fame premitur, sitim patitur, & itinerum labore fatigatur. Et ecce, dum vna vice venationis suæ munus exsequitur, & lustratâ Iudæâ pergit in Galilæam, venit ad ciuitatem Samariæ, inquit Euangelista, & subdit:* Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat supra fontem sic, *& sitiens à Samaritana petit haustum aquæ, dicens:* Da mihi bibere. *Sed quid sibi volunt hæc verba, ô sacer Euangelista:* Sedebat sic, &c. *nimirum plura intelligi, quàm exprimas.* Sedebat ergo sic, *quasi viator & venator lassus, quiete & sessione, nec non aquæ haustu vires refocillare cupiens.* Sedebat sic, *quasi homo infirmus & infimus aliquis è plebe.* Sedebat sic, *quasi non esset is rerum omnium Dominus, laborantium refectio, esurientium panis, sitientium potus, miserorum robur ac fortitudo.* Sed

Sed quid mirum? si tam difficilis ac laboriosa fuit ista venatio, nec enim obuium & ante oculos fuit quod caperet verùm & patienter & multo sudore prædam inuestigare debuit. Hoc indicat per Ezechiel. Dominus his verbis: Errarunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Errabant scilicet homines varijs abducti desiderijs & affectibus, quia per varia bonorum genera, in quibus sublime & excelsum aliquid apparebat, tanquam per varios montes & colles vagabantur: & dum vndique pabula malignæ fami quærunt, longiùs ab hoc animarum venatore & salutis auctore recesserunt. Vnde quia tam varius & multiplex erat ferarũ error, ad quas cœlestis venator è cœlo quærendas & capiendas venerat, nil mirum si tot itineribus, tot laboribus, tot incommodis fatigari debuit, antequam gregem adeo dispersum & errabundum colligeret. Et tamen videre erat Dominum mira animi alacritate & promptitudine ad hæc omnia properare, immò, exultauit, teste Propheta, vt Gigas ad currendam viam, id est, ad opus salutis nostræ consummandum, ad quod adeo vehemẽter anhela-

Ezech. 34

ut errantes colligat

Sitis eanũ ingens

bat, vt omnis illi mora nimium grauis & molesta videretur. Sanè nimium dilatio spei ac rei cupitæ vehementer affligit animam; quid verò illi magis in votis, quàm salus humani generis? quid homini famelico optabilius, quàm cibus? quid sitibundo iucundius, quàm potus?

& fames. Et meus cibus, *inquit Saluator*, est, vt faciam voluntatem Patris mei, *id est, vt opus redemptionis humanæ perficiam, ad quod Patris æterni voluntate destinatus sum: idq; luculenter ostendit, cùm imminente Paßionis suæ die diceret ad Apostolos:* Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.

Tempore Paßionis. *Sed & cùm paulò antè Apostolis Paßionis suæ mortisq; diem prædiceret, Petrus, qui huius rei mysterium carnali adhuc sensu præpeditus non assequebatur, indignum ratus Dominum tot laboribus ac iniurijs, tot probris & contumelijs subijci, ab hac intentione Christum reuocare conatus est, dicens:* Absit à te, Domine; non erit tibi hoc. *Cui Dominus:* Vade post me, Sathana, scandalum es mihi, non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. *Mira verborum acrimonia, vehemens correptionis acerbitas. Nonne his verbis:* Vade Sathana, *vsus est, cùm à se Dæmonem repulit, qui ab eo rem indignißimam,*

id

id est, adorationis cultum exposcere ausus est, cui dixit: Vade Sathana, & modò eodem verbi fulmine discipulum ferit, quem paulò antè ob fidei confeßionem, ac Patris reuelationem beatum prædicauerat, cuiq; Ecclesiæ suæ principatum commiserat? Quid igitur hinc colligimus? nimirum immensam Christi in nos charitatem & ardentißimum salutis nostræ desiderium? Nam quibus verbis Dæmonem ad indignißimum facinus prouocantem perculit, eisdem Petrum à salutis nostræ opere deterrentem castigauit: adeo enim molestè hoc consilium tulit, vt velut à Sathana profectum detestaretur.

Ergo quem tanta charitas ad venandum, id est, quærendum animas hominum impulerat, contrarijs consilijs aut conatibus se præpediri non sinit, quo minus cœptum venationis suæ curriculum auidus prædæ conficiat, perrumpit omnia obstacula, & dura quæque constanter superat, nec aquæ multæ potuerunt extinguere charitatem. Omnia hæc amorem, omnia charitatem spirant, imò amore solo omnis isthæc venatio agitur, solo amore tot feræ, id est, tot animæ feliciter capiuntur, nec enim nudus & inanis est ille amor, sed qui tot clarißima indicia, id est, beneficia re ipsa prodit:

Vinculis amoris & beneficiorum eas capit.

prodit: iam verò quid sunt beneficia, nisi vincula? qui beneficia inuenit, compedes inuenit, ait ille, quidni & aliquid compedibus maius: vincula enim hæc pedes tantùm ligant, beneficia verò non modò corpus, sed etiam animum, atque præcordia ipsa charitatis nexibus vinciunt. Prou. 28. *Vnde Salomon ait:* Victoriam & honorem accipiet, qui dat munera; animum autem aufert accipientium. *Quid ergo mirum, si tam feliciter homines ceperit, sibiq; deuinxerit hic cœlestis venator, qui tot compedibus, id est, tot beneficijs & amoris indicijs humanum sibi genus obstrinxit. Hoc ipse Dominus futurum confirmauit, cùm dixit:* Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, *hoc est, si homines per Euangelistæ prædicationem me Dei Filium mundiq; conditorem agnouerint, quòd scilicet Ego, cuius gloriæ nihil accedere nihilq; decedere potest, tanto tamen humanæ salutis amore ductus fuerim, vt quo eos à peccatis liberarem, & æternis bonis ditarem, mihiq; amoris vinculo coniungerem, humanam carnem induerim, tot labores ipsumq; doloris crucis supplicium pertulerim; si, inquam, hoc firmiter crediderint, & diligenter expenderint, non dubito, quin hac charitatis & bonitatis*

meæ magnitudine excitati ad retia mea certatim confluant, solos se obsequio meo addicant, & tanto amori amoris vicem reddere, mihiq́ deinceps indissolubili charitatis nexu adhærere desiderent.

Enimverò quamdiu Dux residebat in augusto illo gloriæ ac maiestatis suæ solio, vnde furoris ac iustitiæ suæ tela in improbos vibrabat, pauci admodum illum sequebantur, pauci erant, qui capi sese ab illo finerent: at vbi inclinauit cœlos, & descendit, vbi à maiestate sua ad humilitatem nostram, à seueritate sua ad lenitatem deflexit, vbi Verbum Caro factum est, & qui in forma Dei erat, semetipsum exinaniuit, serui formam accipiens, & æterno Patri ad mortem crucis vsque factus est obediens, tunc homines tantam Dei erga se bonitatem, charitatem, misericordiam vehementer admirati illum toto corde sequi, seq́ totos illius obsequio deuouere cœperunt. Et aduerte hic, quæso, quàm præclarè Dominus noster perfectam veri venatoris imaginem exprimat: venatores enim aliquando alium sibi amictum, velut viridem, plumatum & venandis certis quibusdam feris magis idoneum circumdant. Eodem planè modo Christus alium sumpsit habitum, & dissimulata ad tempus regia

vestē con- colorem ijs sumis-

regia & diuina maiestate serui formam accepit, sicq; in hoc mundi desertum processit: nam si conspicuâ & apertâ maiestatis suæ gloriâ prodiret, omnes feræ protinus ab oculis eius diffugerent, vtpote cuius vultum & dignitatis splendorem ferre non possent, velut cum olim Dominus in monte Sinai legem daturus descenderet, tantus populum vniuersum maiestatis illius terror inuasit, vt propior ad montem accessus omnibus horrori esset, & dicerent ad Moysen: Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. *En quomodo præda diffugiat maiestatis horrore concussa. Quid ergo? Trinitatis suæ gloriam tantisper dissimulat,* in similitudinem hominum factus, inter homines conuersatus, & habitu inuentus vt homo, *sicq; blandè & suauiter conciliat sibi hominum animos, quorum oculis non alia quàm humana sese specie repræsentat. O quis verbis exprimat quantam amore ferarum, id est, animarum multitudinem cœperit & ad se traxerit.*

Canes venatici Christi sunt Ecclesiastici

Verùm, quibus ad venandum canibus cœlestis ille venator vtitur? Canes illius nos sumus, ô Sodales, quotquot in Clerum adscripti legatione & venatione pro Christo fungimur, & Christo ad quærendas animas operam nostram addi-

addiximus: non eſt cur refugiat quiſque canem ſe dici, audiens: ſymbolum enim viglantiæ ac fidelis cuſtodiæ canis eſt: at quos magis oportet eſſe vigilantes, quàm quibus Dominus gregis ſui cuſtodiam commiſit. Vnde arguit Deus per Iſaiam Prophetam ſpeculatores, id eſt, Rectores & Præſules Iſraël: Speculatores Iſraël cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare. Canes ergo Chriſti nos ſumus, qui tum dicendo, tum orando, animas Chriſto venari & lucrari debemus; ſed væ canibus mutis, qui non valent latrare, quibus aut ambitio, aut cupiditas, aut fauor, aut timor os obſtruxit. Clama, ne ceſſes: annuncia populo ſcelera. Canes ad paſtum & ad ventris ſaginam abiecti, pigri, inertes, ac in prato ſtertentes ad venationem inutiles. Foris canes. Canes venatici debent eſſe corpore gracili & tenui, agiles, vt expediti ſint ad curſum; non grauari crapula & curis huius ſæculi. Canes bene inſtituti non deuorant captam prædam, ſed Domino offerunt, pro ipſius arbitrio captæ præda relinquitur, & pars quædam canibus proijcitur. Sic noſtrum eſt venari animas, interim non noſtrum lucrum, commodum, aut honorem, ſed Chriſti gloriam quærere, ab illius liberali prouidentia pendentes, qui ſuis mi-

Vigiles.

Iſa. 56.

Latrātes.

Agiles.

Paruo contenti.

ministris necessaria prouidebit, aliàs meritò queritur & minatur: Væ Pastoribus, qui pascunt semetipsos, qui lucra sua, non Christi quærunt.

Vincula venatoris Christi & retia, beneficia varia.

Sed quibus machinis, quibus funibus aut vinculis venator noster Christus vtitur? Certè, vt antè dixi, amore ac beneficijs summi amoris ac benignitatis suæ argumentis. Hi sunt illi funes, de quibus per Prophetam Dominus ait: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Notat Riberæ, Cornel. cæteriq; Interpretes, pro his verbis: In funiculis Adam, in Hebræo legi: In funiculis hominum. Sed audite sensum elegantem sanè, & proposito nostro pulchrè congruentem: In funiculis hominum traham eos, id est, capiam & traham eos ad me, non qua ratione indomiti tauri atque feræ capiuntur, & funibus ligantur, sed qua homines beneficijs allecti ad benefactoris sui amorem incitantur. Generosus quippe est animus hominis, & potiùs ducitur, quàm trahitur. Traham eos ergo ad me, non eo modo quo antea trahere conitus sum, videlicet terroribus, minis, atque verberibus, quomodo trahi iumenta solent, quæ cùm ratione careant, metu, virgâq; reguntur: sed potiùs amore, misericordiâ, donis atque beneficijs, quibus

bus omnium animos, plus quàm vinculis ferreis ad me traham.

Quàm verò feliciter hæc vincula charitatis vinciant, primorum fidelium exemplo discimus: nam cùm in die Pentecostes charitas Christi per Spiritum Sanctum diffusa esset in orbem terrarum, ipse Petrus mox quinque millia animarum vna venatione seu vna concione cepit, & ad Christum traxit. Sed & vim charitatis in ipsis Apostolis contemplari libet? Ecce Petrus, cùm necdum diuinæ charitatis viam satis agnosceret, vt Dominum suum vinctum vidit, ad vilis & infimæ ancillæ vocem eum negauit, & deseruit, cuius obsequio se paulò antè in mortem vsque deuouerat, cæteriq; Discipuli simili formidine perculsi, relicto Præceptore, fugerunt; at intuemini eundem Petrum, cæterosq; Discipulos, vbi charitatis vincula, emissus de cœlo Spiritus Sanctus eorum cordibus indidit; adeo solidâ fidei charitatisq; constantiâ Christo adhæserunt, vt non modò ante Reges & Præsides adducti nihil formidarent, sed summæ etiam gloriæ & gaudij loco ducerent, pro nomine IESV iniurias & contumelias pati, & mille etiam

Feliciter his capiuntur

5. millia vna die.

& ipsi Apostoli.

etiam vincula & cruces pro Christi gloria subire.

S. Petrus. *Petrus sanè, cùm maximis quotidie vocibus Crucifixi gloriam in omnium oculis prædicasset, in Senatum Iudæorum adductus, (quò Annas Princeps Sacerdotum, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotum, confluxerunt) & ab illis, in cuius nominis virtute claudum quendam sanasset, interrogatus, hæc animosa inuiolabilis fidei verba respondit:* Principes populi & Seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum fit omnibus vobis & omni plebi Israël, quòd in nomine Domini nostri IESV Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem DEVS suscitauit à mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus: hic est Lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus: Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. *Quid quæso hac responsione fortius, quid constantius, quid mirabilius? Quid te, ô beate Piscator, ita animauit? vnde tibi tanta vis, tam insuperabilis constantia?*

quis

quis pectus istud, adeo pusillum, vt vilis fœminæ vocem paucis antè diebus expauesceret, sic armauit, vt totum Iudæorum Senatum atque Concilium insuperabili fortitudine protereres atque calcares? Nimirum iam diuina Magistri tui charitate captus tenebaris; illa, inquam, amoris vincula iam te Christo ita fortiter adstrinxerant, vt nec Sacerdotes, nec Principes populi, nec ipsæ inferorum portæ te à fidei & confeßionis constantia deinceps dimouere possent.

Simili charitatis nexu ac vinculo Apostolum eius Paulum à Christo captum vinctumq́; *S. Paulus* *aspicite:* Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos: Certus enim sum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro. *En admirabilem Apostolicæ charitatis vim & ardorem pari verborum acrimonia & asseueratione eleganter expressam.*

Quid

Quid enim esset, quod Apostolorum pectus ab amore Christi Saluatoris auelleret, tam forti amoris vinculo, tam firmo glutine adstrictum atque deuinctum? O quàm meritò illustri illo & generoso titulo sæpiùs repetito in Epistolis gloriatur Apostolus: Ego vinctus in Domino, &c. Sic cæteri quoque Sancti ac Martyres, inprimis, cùm Christi tanta pro salute nostra patientis charitatem, & immensa bonitatis eius beneficia expenderent, amoris vinculis Christo tam firmiter innexi sunt, vt potiùs à corpore, quàm à Christo animo separari se paterentur & vltrò mortem oppeterent, vt Domini charitatem sanguine testatam, sanguine pensarent. Et quid nos facere par est, ô Viri Ecclesiastici, an minora in nos Christi beneficia, an leuiora charitatis vincula, quibus nos sibi deuincit? Mitto cætera, & omnibus communia: Nonne ingens diuinæ clementiæ beneficium est, quòd nos elegerit de populo, & voluit fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, quòdq; nos velut amicos intimos & consiliarios in domo illa immensa, quæ est Ecclesia, reliquit; nosq; sibi propiùs assidere fecit, & Corporis sui sacra mysteria cæteris dispensanda commisit, quis hoc beneficium pro dignitate æstimet, quod Angelis negatum, no-

Sancti Martyres

Et omnes Ecclesiastici.

nobis datum est, Corpus Christi sacris verbis consecrare, Christum in ara diuini muneris mysterio præsentem sistere, obediente Deo voci hominis? mirantur homines, obstupescunt Angeli, & tantam bonitatem supplices venerantur. Et ipse Sacerdos immemor felicitatis & dignitatis suæ inter hæc aridus vagusq; consistit, hæc non attendit, non considerat? Certè se tot beneficijs capi non sinit, sed maligni laqueis tenetur: Vnde graui nos culpæ adstringimus, quando cœlestem venatorem sequi nolumus.

Itaque nunc rete cœlestis venatoris seu vincula vidimus, nunc quibus illa potißimùm tendat, videamus. Quemadmodum malignus venator pijs potißimùm hominibus laqueos & insidias parat, de peruersis enim modica illi cura est, vtpote quos iam tenet laqueis, & iugo seruitutis suæ premit; sic Christus impios & peccatores maximè quærit. Quis de hoc dubitet: sic de se ipso palam testatur: Non veni vocare iustos, sed peccatores; an quòd iusti ope Saluatoris non egent? minimè, nec enim sine illo iustitiam suam tueri iustus poterit, sed quòd peccatores, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, magis egeant auxilio gratiæ, tum quòd virtus & gloria venatoris in his capiendis magis elucescat. Vt

Maximè peccatorẽ bus Christus retia tendit.

Vt enim Nautæ ars in tempestate, & scientia Medici in desperata valetudine magis conspicua est, sic Venatoris ars & dexteritas in feris indomitis, prægrandibus, magisq́; crudelibus velut Vrsis, Leonibus, Tigridibus, Apris, alijsq́; capiendis magis se prodit, quàm in mansuetis & cicuratis animalibus, quæ leui opera capiuntur. Sic, inquam, supremi Venatoris virtus & potentia in efferatis & indomitis bestijs, id est, peccatoribus capiendis magis elucescit. Vnde docent Theologi, conuersionem vnius peccatoris maius esse opus diuinæ potentiæ, quàm creationem & gubernationem totius vniuersi. Talia quidem mon-
S Matth. *stra & immanes belluas cepit, cùm in telo-*
Magdal. *nio Matthæum, in conuiuio Magdalenam,*
Latroni. *in Cruce Latronem, Petrum in atrio, in i-*
Publicão *tinere S. Paulum, in templo Publicanum, & alios alibi peccatores venatus est. Quorum quidem venationi adeo deditus erat, vt ob frequens & familiare cum Peccatoribus & Publicanis commercium superstitiosa & præpostera Pharisæorum religio varijs eum calumnijs impetere non desineret.*

Esca Christi. *Sed iam post funes & vincula, quæ diuinus Venator ad venationem adhibet, restat, vt escam, quam vinculis, apponit, videamus.*

Dæmonem ſanè diximus in ſuperiore Concione voluptatibus & carnis blanditijs mundiqúe illecebris, velut eſcam laqueis ſuis apponere, & ſic animas illaqueare. An Christus nuda ſine eſca vincula apponit? nequaquam: eſcam apponit, quâ nulla ſuauior, nulla gratior, nulla præſtantior inueniri queat. Quid enim illa interni hominis pax, ſuauitas, dulcedo, ſeu gaudium ſpiritus, quo mirabiliter animæ Chriſti charitate captæ in huius vitæ ſtadio paſcuntur, & delectantur, quem hæc eſca non alliciat, imò quem non vi quaſi trahat, vt in Chriſti vincula pedibus manibusq́; & omnibus membris, imò totus corpore & anima penitus ligandus concedat. Ecce verba dulciſsima inuitantis nos Venatoris, Verba dulciora ſuper mel & fauum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos, Ego inquam cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum, Ego, qui vitam veſtram mea longe cariorem habeo: ego qui tot potentiæ & clementiæ erga vos argumenta dedi, quid appenditis argentum non in panibus & laborem veſtrum non in ſaturitate? quid laſſamini in via iniquitatis? quid quæritis ciſternas diſſipatas quæ continere

Conſolationes cœleſtes.

non valent aquas *quæ sitim extinguunt, sed potius excitant*: haurite aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, *ex quo* qui biberit, non sitiet in æternum: *quid fertis graue & importabile pondus Sæculi, en* iugum meum suaue est & onus meum leue. *Verè verè etsi amœna & floribus delitijsque plena videatur via ambulantium in desiderijs cordis sui; etsi gratior multis sit esca malorum voluptas, vtpote quæ blandâ fronte multos illinat, attamen* contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. *quis verbis exprimat quot curis, motibus doloribus, ac laboribus, varijsque cupiditatum opibus impiorum vita exagitetur, interim magnâ pacis dulcedine gaudet vita piorum,* & dulci somno fruuntur viscera temperantis *vt inquit Sapiens. Eleganter* Thomas *de Kempis*, Si est gaudium, *inquit* in mundo, hoc vtique possidet puri cordis homo, &, si est alicubi tribulatio, hoc melius nouit mala conscientia. *Hoc gaudio & his delitijs Sponsa illa fruebatur, cum cœlesti Sponso diceret* Meliora sunt vbera tua vino fragrãtia, vnguentis optimis: *vberum autẽ nomine lacteam diuinæ suauitatis escam intelligit,*

Dulciores omnibus mundi voluptatibus.

ligit, quam vino, hæc eſt, omnibus mundi delitijs non modo puriorem; ſed etiam dulciorem eſſe conſtat. An non ſuauius ſit gaudium, quo mens ſibi conſcia recti vos reficit, quam quod omnis mundi voluptas in corde veſtro relinquit? Teſtor conſcientiam vniuſcuiuſque veſtrum: & ad animorum ſecreta prouoco; Nonne maius vobis gaudium ſincera pietas, & amor Dei, quam omnes carnis deliciæ, ſuis ſectatoribus propinant? Ita prorſus eſt: Viciſſe voluptates ea demum vera & ſincera voluptas eſt: & gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, Dulcius eſt ſeruire Deo, quam ſeculo. Quam multæ ſunt caſtitatis, & perfectæ virtutis ac pietatis, quam liquidæ voluptates? at infinitis doloribus carnis lenocinia emuntur: Sed plures caro quam pietas trahit: quid mirum? pauci qui amant guſtare & videre quam ſuauis ſit Dominus: ideoque ignoti apud eos nulla aut exigua cupido eſt: O miræ diuinæ prouidentiæ diſpenſatio, animaduertit Deus ea mente atque ingenio homines eſſe: vt futura minus curent, præſentium vero fructu atque ſpecie magis capiantur; ideo futurorum bonorum prægustum quendam & præſentem ſpiritus dulcedinem inſtillat, vt homo alias ad

futura & spiritualia tardus, hisce velut calcaribus, ad ea magis exstimularetur.

Sic & naturæ conditor in his, quæ ad indiuidui & speciei conseruationem pertinent, quandam voluptatis illecebram posuit, quâ res omnes inescatæ operibus ad vitæ vsum necessarijs nunquam desunt, quid vero in rebus humanis magis necessarium quam pietas & virtus, omnia quæque suauissimis diuini Spiritus delitiis sepiuit & dulcorauit, vt hac veluti esca illecti ad eius cultum & amorem traherentur.

Stillam eorum gustauit S. Petrus in monte Thabor.

Gustauerat hanc Spiritus dulcedinem Petrus in monte Thabor, mox omnium inferiorum oblitus, clamat, bonum est nos hic esse, persistamus, hic moremur, tuique vultus splendorem iugiter contemplemur. Vnam, inquit, August. stillam dulcedinis ille gustauit, & omnem aliam fastidiuit, nec solum fastidiuit, sed etiam gaudio illo omnes animæ sinus penetrante & plenissimè occupante, extra se potius & cœlesti vino ebrius, quid eliceret nesciebat, cum tria tabernacula in monte illo fieri postulabat. Ostendit & hanc dulcedinem Rex ille Maurorum Scalacopius de quo Aeneas Sylu. in hist. Bohem. Cap. 11. qui regno pulsus cum tribus Anachoretis ad mortem vsque ignotus hu-

humilem vitam egit: extremo autem vitæ Spiritu his verbis omni memoria dignis eos est allocutus. Nondum quis fuerim nouiſtis. Rex ego Maurorum prælio victus ad vos cõfugi, & regiã vitam & priuatã expertus morior. Nulla regni fortuna eſt tranquillitati eremi præferenda: hic ſecurus ſomnus, dulces herbas, & radices atque vndas afficit: ibi curæ atque pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt: quod vitæ mihi datum eſt, apud vos felix peregi, in regno quidquid eius tranſactũ eſt, mors verius quam vita fuit. *Ecce locuples tanti regis teſtimonium, quo diſcimus longè dulciorem eſſe eſcam quâ Spiritum Deus, quã qua carnẽ Dæmon allicit & attrahit.* *Et Rex Maurorũ factus Anachoreta.*

Affinis huic eſcæ eſt paterna illa DEI *cura, & prouidentia, quâ pios paſcit, fouet ac protegit, eorumq; neceßitatibus ac periculis clementißimè prouidet: ideoq; illi* in pace in idipſum dormiunt & requieſcunt, quoniam Dominus ſingulariter in ſpe illos conſtituit, *& velut in domo vndique munitißima habitare facit.* Oculi *eorum* ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes eorum: *Quid enim poſſet illos in laqueos maligni* *Altera eſca Dei prouidentia erga electos.*

venatoris inducere? an maligna cupiditas radix omnium malorum in laqueos diuitiarum & bonorum huius sæculi? quin potius magnus eis quæstus est pietas, ideoque in via testimoniorum DEI delectantur, sicut in orbis diuitijs: eius mandata diligunt super aurum & topazion, & cur opibus inhient, qui benignissimum Patrem in cœlis agnoscunt, cui cura de nobis est. neque enim prouidentiæ suæ cura deest volatilibus cœli, nec vilissimis quibusque terræ vermiculis, & hominem quem ad imaginem suam creauit, & pretio sanguinis sui æternitatis hæredem constituit, rebus ad vitæ mortalis escam necessarijs destitui patietur? Concideret diuina veritas & promissum si hoc fieret Itaque iactant super curam suam, & sollicitudinem suam in DEVM proijciunt, quoniam ipsi est cura de nobis, & huic diuinæ prouidentiæ & bonitatis fiduciæ innitētes melius sibi hac vna spe, quā diuite annona & cibis in penu recōditis, & præsenti rerum omnium apparatu consultum esse putāt. Cū enim Dei sint omnia, qui Deū possident, quid illi deesse potest : gaudet enim Dei amicitiæ & iure amicitiæ inter amicos omnia sunt cōmunia.

Plus allicit quam esca mūdi & dæmones.

Sed an ventris & gulæ voluptatibus in laqueos maligni venatoris impellantur? Nequaquam secu-

ſecura mens *ipſis eſt* quaſi iuge conuiuiũ, *qua iucundius reficiũtur, quã iucundis quibusque dapibus & e*ſcis multis, *in quibus eſt multa infirmitas & amaritudo: ſecura mens magis illos lætificat, & hilaris conſcientia: quam vinum, quod flaueſcit initio, & ingreditur blandè, ſed in fine mordet vt coluber, & vt regulus venena diffundit.*

Quid enim? an per carnis & luxuriæ blandimenta in laqueos Dæmonis corruant? illi verò nihil turpius, nihil fœdius ducunt, quam membra Chriſti facere membra Diaboli, & templa Spiritus S. violare. quia potius timore Dei præcingunt lumbos ſuos, & illibatam caſtæ mentis lætitiam vaniſsimis carnis inquinamentis longè anteferunt dicentes cum Propheta, quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abſcondiſti timentibus te? *Scientes quod* beati *ſint* mundo corde quoniam ipſi DEVM videbunt. *Verum quam multa ſunt in ſæculo, quæ nobis malignus venator in laqueum concitat, ſed* fruſtra iacitur retè ante oculos pennatorum; *eorum inquam qui Spiritualibus pennis in ſublime (lectione & meditatione veluti duabus alis) à terrenis ad cœleſtia, à caducis ad æterna bona feruntur: ante quorũ oculos fruſtra*

 infer-

infernalis venator peccatorum laqueos expādit, quia ex continuo rerum cœlestium studio pura & perspicax est, nec terreno puluere inficitur eorum mentis acies; sed diuinæ lucis fulgore clarius illuminati, facilè agnoscunt, nihil esse sub Sole diuturnum & permanens quod in cunctis hisce bonis non sit nisi vanitas vanitatum & afflictio Spiritus: *ideoque contemptis præsentibus & obuijs terræ bonis ad æterna & inuisibilia toto mentis desiderio rapiuntur, magis sincero omnia iudicio ponderant, nec mendaci statera cuncta transiliente librant,* quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Nec externum duntaxat honorum & voluptatum huius sæculi finem spectant quæ vt plurimum blanda videntur, sed latens intus venenum considerāt. Vnde nec honorum au dignitatum desiderio capiuntur, quin potius norunt honoris & sæculi inania vt plurimum fallaci blandiri vultu, sed acrem in accessu aculeum & latens venenum, laborem reconditum, ideoque malunt in loco saluari humili, quam in alto periclitari.

Vnde nec vitam in sæculo abiectam & humilem dedignantur, veri & solidi honoris exspe-

ctatione

Electione freti, quam sola parat humilitas, quamuis enim facti sint velut purgamenta huius mundi & omniũ peripsema: *quamuis multi* vitam eorum æstiment insaniam & finem illorum sine honore, *erit tamen cum dicent* nimis honorati sunt &c. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est. *Hanc sortem nobis conferat ille, de cuius sorte, & cuius sors nos sumus, vt liberati* de laqueo venantium & à verbo aspero, *Christo vinculis charitatis innectamur, verè dicentes cum Propheta*, mihi adhærere DEO bonum est, quia tu es refugium meum, tu sors mea & pars mea DEVS in æternum. DEVS pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Hucusque venatio Spiritualis.

Huic tam nobili ædificio deest tectum & coronis: deest parænesi tam præclaræ clausula vel epilogus, qua more suo feruenter Clericos præsertim curatores animarũ non solum ad vitandos stygij venatoris laqueos peccatorum propriorum (quod satis disertè in prioris partis fine præstitit) sed &

officij sui obligationem, vigilantiam, curamque diligentem exemplo Sanctorum Præsulum & Patrum excitaret, qui Christū venatorem seculi velut venatici canes & solertissimi multas animas Christo cum vitæ periculo vel ceperunt, vel seruarunt, ne dæmonum laqueis irretirentur: vt sic etiam aliena peccata deuitarent: sed quoniā idipsum in fine *Tubarum* suarum disertè præstitit: quæ huc faciunt, cum ijs multi careant visum est transcribere. Facit autem ipsos cum Christo iam regnantes Pastores (in quibus & ipsum Iacobum nostrum numerari confidimus) sic mortales alloquentes, & officij serio commonentes.

Pastores

in epil. vide exemplar. ad Clerum Germ.

Amor Christi Iesu & Ecclesiæ eius, quam suo sanguine acquisiuit, & nobis olim, vobis hodie regendum commisit, vrget nos, vt quamuis de nobis securi, de vobis tamen simus soliciti: Graui quippe & periculoso vos munere fungi ignorare non possumus: experti scilicet ipsi, quid sit curare, ac regere animas, & tandem de cura & regimine supremo iudici rationem reddere. Sensimus & nos scopulos illos & procellas: quibus ipsi gubernatores grauius periclitantur, quam ceteri. O quam multos perijsse vidimus, & indies perire videmus! Perijssemus & nos, nisi diuina bonitas praeuenisset nos in benedictionibus dulcedinis, &

men-

mentibus nostris singularem indidisset vigilantiam, & iugem solicitudinem: qua nos aduersus mille tam ardui muneris discrimina semper velut in procinctu stare munitos oportuit. Hinc nō possumus non metuere vobis, conscij laborum & onerum, quæ vobis incumbunt nec ignari malorum, & periculorum, in quæ se vna cum grege suo conijciunt, qui temerè hoc munus suscipiunt, aut susceptum negligenter gerunt.

Nos certè olim ad Ecclesiæ præfecturas electi, honorem ex onere metientes, elegimus potius abiecti esse in domo Domini, & recunbere in nouissimo loco, quam ambulare in magnis, aut tenere primas Cathedras: & potius in humili esse securi quam in alto periclitari. Attamen iussit nos ascendere superius, qui suscitat de puluere egenum, & de stercore erigit pauperem, & tenet omnia in manu consilij sui. Sed ô si videre poßitis, quid nobis animi fuerit, quis cordis æstus, quæ anxietas ad Ecclesiæ dignitatem pertractis, ipsi vtique damnaretis cæca & stulta mortalium consilia, qui tam ardenter id expetunt, (nescientes vtique quid petunt) quod nos tantopere exhorruimus, & non nisi per vim, seu coacti suscepimus. Nemo nostrum, qui non exilium inopiam, carcerem, imò mortem potius ipsam elegisset,

set, parendum tamen fuit vocanti & iubenti Deo, cuius imperium detrectare nefas. Ille tanquam supremus Paterfamilias vineæ suæ nobis culturam & custodiam commisit: vnde & nos ad laborem, non ad honorem: ad negotium, non ad otium vocatos intelleximus, euellere, destruere, dißipare, ædificare, plantare nostrum fuit opus, & labor continuus. Portare sane pondus diei & æstum, & in sudore vultus nostri vesci pane nostro necesse fuit.

Hanc verò vineam, tam indefesso labore nostro cultam, & tot à Deo incrementis dotatam vos vtpote successores nostri, velut manu à nobis traditam accepistis: Vos enim in labores nostros introistis, O felices, si & Spiritus nostri heredes, & Pastoralis solicitudinis fueritis imitatores. Sed væ operarijs otiosis in vinea Domini, væ demolientibus, væ quoque negligenter custodientibus: quorum incuria vel pro vuis facit labruscas, vel ab apris & feris vastantibus exterminatur. Vultis consultum periculo vestro, en habetis formam nostram, & factis & scriptis nostris expressam: Hinc capiatis licet normam vitæ vere Pastoralis, seu ideam fidelis Episcopi. O quanta solicitudo, quæ morum sanctitas, quanta virtutum perfectio requiritur, vt sit qualis esse debet, id-

id est irreprehensibilis: vtiq; qui talẽ esse iubet Episcopum aut Pastorem, nihil vitij inesse voluit: quando & hoc solum in eo vitium est, non esse quam optimum. Sed neque estis securi, etsi nihil vobis conscij, non sufficit vobis probitas, & Innocentia propria, à quibus etiam requiritur aliena. Et quid proderit non puniri suo, qui puniendus est peccato alieno? Sed quid si, qui vineæ custodes positi sunt, ne suam quidem curent, aut custodiant? & quomodo custodient alienam? Nam rectus quidem ordo & charitas ordinata requirit, vt quisque propriam prius, quam alienas curare studeat animas: & hinc à cura sui charitas ordinata recto tramite procedit, ad curam proximi, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur; nam qui sibi nequam cui bonus?

Propterea attendite inprimis vobis, & deinde vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Attendite vobis, quicunque opus ministerij huius sortiti estis. Attendite & pretioso deposito, quod vobis creditum est. Heu nimium infelices illos, qui nescientes dignitatem, & officium Sacerdotij sui, omnia alia curant tam sedulo: animas verò seu oues vix ponunt inter curanda! quarum ta-

men cura prima & potißima muneris sacri pars est. Quid agetis tandem, quo vos vertetis, in die illa tremenda, cum veniet Dominus positurus rationem cum seruis suis: si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud, quod sibi Christus pretioso sanguine pretiosius iudicauit, inuenti fueritis negligentius custodisse? certè illud seruandum accepistis pro quo mercator non insipiens ipsa vtique Dei sapientia sanguinem suum dedit. Sed & habetis thesaurum istum in vasis fictilibus: quibus sane multo plura, quam vltis fictilibus pericula imminent.

Porro si testimonium nostrum forte minus accipitis: Ecce testimonium Dei maius est. Væ Pastoribus, inquit Dominus, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus, pascuntur. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmũ fuit nõ consolidastis, & quod perierat, non requisistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cũ potentia. Propterea Pastores audite verbum Domini, viuo ego dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super Pastores requirã gregem meum de manu eorũ: & cessare faciã

eos

eos vt vltra non paſcant gregem: nec paſcant amplius ſemetipſos.

Perutilis ſermo, qui poſſet etiã duriſſima quaque corda concutere: & vtinam ſit ſicut ſtimulus & Clauus in altum defixus, in cordibus veſtris.

Paſcite ergo qui in vobis eſt gregem Dei: prouidentes nõ coactè: ſed ſpontaneè, ſecundũ Deum, neq; turpis lucri gratia, ſed volũtariè: neq; vt dominãtes in Cleris: ſed forma facti gregis ex animo.

Boni certè Paſtoris eſt exemplo gregem ducere, & operibus docere, & ſuis potius, quam alienis. Quorſum enim noſtra paſſim geſta & exempla producitis? vt quid in nobis charitatem, zelum, vigilantiam, modeſtiam, abſtinentiã, ſobrietatem laudatis? quid veſtris ouibus proderit harum in alijs virtutum commendatio, ſi docentes alios non docetis vos ipſos? ſi ne ipſi quidem vobis perſuadetis, quæ alijs perſuadere nitimini? incipite facere, & docere, & eritis quoque ſimiles Magiſtro veſtro potentes *ſcilicet* in opere & ſermone. *Maius ſanè pondus habet vita loquentis, quam quæcunque grauis & elegans oratio: at cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Cauete ergo ne opera veſtra confundant ſermonem veſtrum, & notemini vita Phariſæorum, qui alligant onera grauia, & impor-*

portabilia, & imponunt ea in humeros aliorum; digito autem suo nolunt ea mouere. In vos omnium oculi diriguntur, domus & conuersatio vestra quasi in specula constituta, magistra est publica disciplinæ. Quidquid feceritis, id sibi omnes faciendum putant: cauete sollicitè ne committatis, quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur, aut qui imitari cogantur delinquere.

Morbido capite nihil sanum in reliquo corpore. At integritas præsidentium salus est populorum. Facilè ad honesta quæuis sequetur populus, si Præpositos suos viderit huc totis viribus contendere. Vultis ergo luxum, fastum, auaritiam, crapulam, (ô pestes Ecclesiæ) aliaque nefanda vitia, quæ vos vna cum populo in tot mala cladesquè præcipitant, eliminari? ita vos primum mores vestros priuatim publiceq; cōponite, vt in ijs palam appareat, huiusmodi vitiorum detestatio, è contra amor simplicitatis, zelus Dei, sobrietas, modestia, ac vanitatum contemtus reluceat. Sic demum redibit exul & profuga, diuque desiderata pax; si populus profligatis vitijs, & abusibus cum Deo in gratiam redierit, id quod fieri nequit sine vobis; qui vt duces præire debetis. Sed quomodo inter homines stabilis pax coalescere

aut

aut constare queat, quos à Deo Pacis auctore impietas, morum corruptela, disciplinæ neglectus, & tot abusus auertunt? Non mirum infeliciter vos sæpius contra hostes pugnare; quando ipsa vos peccata vestra peius impugnant.

Hortamur vos tandem & obtestamur per viscera charitatis Dei nostri, per salutem vestra, per spem quam habetis in Christum Iesum, quin & per vltimam tubam, quæ vos omnes, & nos pariter citabit ad tribunal supremi Iudicis, si nostram imo si Dei vocem audieritis nolite obdurare corda vestra; nec sicut aspis surda, obturetis aures vestras, & obsurdescatis ad vocem incantantis sapienter: sed audientes audite, & appre- hendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis, cum exarserit in breui ira eius: *quod vtique metuendum illis, qui sedent in cathedra pestilentiæ, id est qui enarrant iustitiam Dei, & assumunt testamentum eius per os suum: Interim verò ipsi oderunt disciplinam & sermones Domini proijciunt retrorsum.* O terribilis Deus super filios hominum! ô iudicium durissimum *quod* his, qui præsunt *fiet!* ô *tormenta quæ* potentes potenter patientur. *Sapite, intelligite, & nouissima prouidete, & horum semper memores, sic*

pas-

pascite greges vestros, vt cum apparuerit Princeps Pastorum percipiatis nobiscum immarcessibilem gloriæ coronam.

Huc vsque Iacobus: cuius parænesi quisquis auscultarit, næ ille verus Christi canis venaticus funibus amoris ei deuinctus, non solum casses euadet dœmonis; Sed etiam Apostolico spiritu feruidus sagaciter rimabitur & peruestigabit odoratu latentes feras in antris & cauernis turpitudinis, in præruptis honorum & ambitionis cæcæ petris & montibus: vel in dumetis & spinis opum, easque latratu territas, & excitas captasque sistet venatori Christo, nec sinet amplius laqueis dœmonum implicari: quod tamen exemplo vitæ, quam vocis sono facilius consequetur.

Eodem Spiritu ductus Iacobus cum cerneret vt à capitis virtute, & optima constitutione totius corporis mēbrorū vigorē sic ab Episcopi vigilantia, & sanctitate Cleri disciplinam & mores dependere, formam præsulum vitæ tam in vita S. Caroli Boromæi commentario illustranda, quam in alio libello quem *Zelum domus Dei* nominabat adumbrare voluit: cuius operis indicem capitum attexere visum est, vt Episcopi Germaniæ, quibus consulere volebat quam optimè, videant quæ præcipuè sint ipsis consi lcranda. In-

Index Capitum Libri
Cvi Titvlvs
ZELVS DOMVS DEI.

11. Re-

11. *Reformatio morum, & abusuum Prælatis zelanda.*

12. *Dignos ad honores euehant, indignos repellant.*

13. *Pluralitas res maximè perniciosa Ecclesiæ.*

14. *Pietas & sanctitas Præsulum, salus subditorum, & terror hostium.*

15. *Consiliarios habere pios, fideles &c. quanti referat.*

16. *De Parrhisia, & corripiendi libertate, constantia, & fortitudine aduersus Principes & hostes Ecclesiæ.*

17. *Cura operum misericordiæ. Rectus opũ vsus.*

18. *Neglectus disciplinæ militaris: impietas militum Reipublicæ noxia.*

19. *Felix belli successus, à pietate, fiducia & oratione.*

20. *Quam sit temerarium vltro appetere Episcopatus, Prælaturas: exempla fugientium Episcopatus.*

Dolendum hunc fœtum cum alijs vix inchoatum: & primis esse formatum lineamentis, vt aspicere lucem neutiquam posit.

DOCVMENTA QVÆDAM ASCETICA R. D. IACOBI MERLO PRO VARIIS HOMINVM STATIBVS vernaculo ſermone ſcripta nunc Latio donata.

COMPENDIARIA COLLECTIO OMNIum, quæ Religioſis Deo dicatis Virginibus ſcitu & obſeruatu neceſſaria ſunt, vt Deo placeant & vocationi ſuæ congruenter viuant.

1. SAnctimonialis ſemper memor ſit Profeſsionis ſuæ, & eorum omnium, quæ Deo publicè promiſit, nimirum quod eo ſolum fine domum paternam, vanam & noxiam libertatem vitæ ſecularis, cum omni carnali familiaritate conſanguineorum & notorum prorſus à ſe abdicauerit, vt in meliore & ſecuriore ſtatu ſaluti conſulere, Deoque cum animi ſancta pace, gaudioque ſeruire poſſet: quod merito pluris ipſa debet æſtimare, quam ſi potentiſsimi Regis eſſet Regina coronata. *Finem vocationis cogitet.*

2. Conſideret neceſſe eſt, quod vti cum monaſticam vitam profiteri vellet, opus fue- *mores mutet.*

mores mutet. fuerit mutatione vestium secularium, & assumptione habitus religiosi, ac Societate sororum Deo dicatarum, ita decere, vt malos mores & vitæ secularis peccata re ipsa deserat: contenta deinceps, vt soror & solum ancilla Dei nominetur & hoc nomen honorificentius debet iudicare, quam si Princeps fæmina vel Domina maximi nominis haberetur: quid enim maius cogitari, vel æstimari pluris debet, quam esse famulam omnipotentis Dei, & Sponsam Iesu Christi?

Seruet regulas. 3. Adhuc expendat, quoniam vitam regularem agit, conuenire vt regulis suis congruenter viuat, statuta, legesque sui instituti & cœnobij seruet, ac crebrò secum ea verba repetat *Dic quare hic?* Cœnobium ingressa religiosa facta sum, inde conuenit, vt conuenienter professioni meæ iuxta cōstitutiones ordinis prorsus religiosè viuā, & non solum caueam, ne in graues defectus & peccata incidam, quæ in mundo ob vitæ secularis licentiam & tot labendi occasiones patrabam; sed etiam enitar, vt cum gratia Dei, quoad eius fieri poterit, ne in minimo à vocatione, sanctaque professione mea declinem: imo confidam in virtutibus indies proficere, & perfectioni, sicut deuotam & sanctam Christi sponsam decet, studebo.

4. Sem-

4. Semper professionis suæ, meminerit, conscientiam examinet sæpe, disquiratque, quam sedulo promissam Deo votis publicis regulam, obseruet, & mente voluet, quid vi votorum trium religiosorum facere teneatur, vt ea, quam exactissimè obseruentur. *discutiet conscientiam.*

5. Quantum ad votum obedientiæ, consideret, & ita secum ratiocinetur, Deo meo voui obedientiam, necessè iam est, vt promtius alacrius humilius & simplicius in omnibus tã quæ à reuerenda matre, mihi præcipiuntur, quam superioribus, qui curam salutis meæ gerunt, obediam; nũquam murmurabo, nunquam de obediendi onere, vel rei imperatæ difficultate, licet voluntati, & sensuum inclinationi repugnet, conquerar, sed cõabor omnia amore Christi promtè & hilariter exsequi: nihil etiam, quod reuerendæ matris venia vel obedientia requirit ad meæ voluntatis arbitrium expediam. *obedientiam custodiet.*

6. Paupertatem Deo iuuante seruabo seuerè quantum potero, contenta paucis, & ijs solis, quæ ad vitam tolerandam sufficiunt: nihil curiosi, superflui, vani, nihil inquam, nisi quod regula & venerabilis matris licentia permittit, seruabo in cella. Nec pecuniam, nec quid simile petam à consanguineis, vel vllis alijs, nisi quodam *Paupertatem.*

ad

ad res necessarias curandas sancta permittit obedientia. Nullum affectum & animi propensionem patiar ad vllam mundi rem, etiamsi ad naturæ sustentationem concedatur; sed omnibus sola necessitate coacta vtar. Prouidebo etiam diligenter, ne vlli seculari personæ quidquam donem, vel ab ea accipiam, absque licentia Venerabilis matris & superioris.

Castitatem.

7. Pro voto castitatis inuiolatè conseruando Deum exorabo, vt gratiam suam mihi clementer largiatur, ad id summa cum animi corporisque puritate custodiendum. Suspectas omnes familiaritates secularium, & omnium aliorum intimorum amicorum: imo consuetudinem cum qualicunque persona seculari quoad potero, deuitabo vt proscindam omnes occasiones mundanum aliquid videndi vel audiendi, quod animum maculare, vel eius puritatem possit inquinare.

Nec scribam literas alicui, vel mittam, neque ab vllo recipiam missas, nisi ad hoc me salus animæ meæ & profectus spiritualis proximi mei cogat & vrgeat.

Et quoniam Deo dicatam decet ab omni specie mali abstinere, vel ijs, quæ puritatem cordis & conscientiæ possint conspurcare: ideo nullas vanas imagines, nullos curiosos & se-

& seculares libros, non specula, non olfactoriola, nec quid aliud in cubiculo seruabo, quod perfectionis amanti & vitæ religiosæ cupidæ virgini Deo consecratæ non conuenit. Sensus etiam corporis arcta custodia sepiam, caueboque diligenter nullius vt viri licet consanguinei, vel familiaris, & cœnobio noti vultum intuear, nec vllo signo monstrabo paratam me ei manum porrigere, nisi forte hoc decentia religiosa aliquando circa honestos & magna virtute præditos occasione aliqua permitteret, præterea solicitè curabo, & advertam, ne quam corporis mei nudam partem videam, aut contrectem, nisi me necessitas extrema cogeret.

8. Aures custodiam à vanis & otiosis colloquijs hauriendis, quæ, mentem inquinant, & conscientiæ quietem turbant. Carnem affligam, & Spiritui subijciam: vtque nimiam eius viuacitatem & libertatē coërceam, decreui certis temporibus eam ieiunijs, inedia, vel saltem victûs temperantia, & alijs eius generis asperitatibus emaciare; cum Deo dicatæ virginis vita debeat esse continua pœnitentia, deuotis aspersa lacrymis. *Sensus externos.*

9. Nec minus Deo consecrata virgo det operam, vt chorum frequenter, diuinis of- *det se pietati.*

M ficijs,

ficijs, omni qua potest pietate, attentione, & feruore animi intersit, abiectis omnibus inanibus & distrahentibus mentem cogitationibus. Adsit orationi consuetæ, sacro decenter assistat, amet in Confessione puritatem, & candorem, ad augustissimum corpus Dominicum dignè percipiendum accedat præuia singulari præparatione & desiderio: Hæc facilius consequetur, si continua spiritum meditatione passionis Christi Domini occupet; Christum corde semper gestet, animo voluat, & intimè compatiatur eius cruciatibus, mortemque eius acerbissimam lacrymis assiduis defleat.

& amori proximi. 10. Sorores suas diligat ex animo, nunquam verbo vel facto lædat, imo tristes soletur, ægris vel opis alienæ indigis peramanter seruiat, & subueniat.

sine querelis. 11. Caueat, ne de ijs ob defectus, quos in ijs notare se putat, queratur: quin potius eis animitus compatiatur, ferat patienter, excuset amicè, nec alijs manifestet. præcipuè prospiciat, ne quid euulget, vel audita publicet, quæ discordias, tristitiam, inuidiam vel dolorem vlli sororum possint generare.

temerario iudicio. 12. Temerarie neminem iudicet: de omnibus bene loquatur, & bene sentiat; omnes sem-

ſemper ſe meliores & perfectiores reputet: vtque magis in animi demiſsione proficiat, ſe vt viliſsimam, imperfectiſsimam, imo tam ſanctæ ſocietatis aliarum indigniſſimam abijciat, ac pro omnibus in communi magno charitatis & beneuolentiæ ſenſu Deum oret.

13. Linguam ſtudioſè refrenet, ne quid ſecularium rumuſculorum vel vanarum rerum, aut curioſarum in medium coram quacumque etiam adducat. Hinc declinet auditionem nouorum indecentium & inanium narrationum, quandoquidem eæ ſanctam animi pacem, & interiorem conſcientiæ quietem ſanctimonialium perturbant, quæ velut ſibi mundoque mortuæ per religioſam & Angelicam profeſsionem, vanis, & caducis mortalis vitæ rebus nullo pacto debent occupari vel delectari. *refrenet linguam.*

14. Abſtineat à malis, mendacibus, falſiſque ſermonibus: verba ſint ſimplicia, caſta, pudica, vera, religioſa: nec vnquam niſi neceſsitas vrgeat, aſlueſcat loqui.

15. Sit Deo conſecrata virgo humilis, benigna, ſimplex, pura, patiens, affabilis, à prauis animi paſsionibus libera, ſuperbas cogitationes, verba vel opera ſeu peſtem abhorreat: ſeque viliſsimã, abiectiſsimam, & indigniſsimam omnium mortalium æſtimet. *ſit humilis.*

benefica. 16. Non concupiscat auidè & insatiabili desiderio res seculares, nec eas habeat, potius liberalem & beneficam, quātum status permittit, exhibeat se omnibus.

temperans. 17. Prouideat, ne in gulæ peccatum incidat: sed insatiabilem, nimiamque cupiditatem compescat contenta paupertina cœnobij sustentatione, Deoque gratam se exhibeat, considerando & agnoscendo, quod plura quam mereatur habeat, quibus aliæ ipsa digniores careant. nec murmuret, vel quærat non ad stomachum, & appetitum suum bos & alia parata inuenerit. Singularitatem vitet in cibis, omnem gulæ appetentiam minus ordinatam, & intemperantiam extra refectorium, nec quidquam edulij edacitcitatis causa patiatur in cella.

caueat inuidiam. 18. Caueat Deo desponsa perniciosam, & caritati inimicam inuidiam, imo gaudeat vel maximè de corporis & animæ optima constitutione sororum suarum.

iram. 19. Indignationem vero & indomitam pessimamque iracundiæ perturbationem velut pestē fugiat: hæc enim maledicta bellua excæcat intellectum, obnubilat rationem, perturbat conscientiam, expellit animi pacem, affligit alios, innumera gignit mala: præterquam, quod eius necet animam, quam occuparit.

20. Sic

20. Sic & detestetur omni qua potest diligentia, vitetque infandam acediam, crimen præ ceteris, religiosis exsecrandum, & pernicosum: nam Spiritum efficit somnolentum, languidum, tepidum, adeoque vigorem illi, desideriumque bene operandi penitus aufert: vnde monialis hac infecta peste, velut mortua degit ætatem in monasterio: neque enim illi libet quidquam boni spiritalis, nihil manu facti operis efficere, perpetuis angitur molestijs, tristitia, curis, angustijs, inimica boni: nusquam pacem reperit, nulla res ei sapit, fastidit omnia, præter fabulas, cibum, potum, somnum: sicque preciosissimum salutis tempus otio, desidiaque consumit: nec considerat, nihil à Deo mortalibus datum esse quod pluris sit æstimādum in hac vita, quam tempus, cuius aliquando seuerissimam rationem ab ea reposcet Christus, num malè vel fructuosè transegerit: quod si volueret animo, nullam eius vel minimam particulam sine salutis commodo labi pateretur. Vnde necesse est, vt otium, & omnem temporis iacturam per vana colloquia, per otiosa, vel inutilia negotia, prorsus deuitet.

acediam.

temporis habeat rationem.

21. Dirigat pia & pœnitens virgo vitam suam omnem sedulo ad Dei gloriam salutemque propriam, manè maturet surgere

Curam habeat profectus.

gere tempori, tum vacare orationi, muniaque consueta pie peragere. Sæpe discutiat conscientiam; profectumque vel defectum disquirat; vt animæ statum peruideat, siue progredientis, siue regredientis: vbi defectum culpamque deprehenderit, ilico proponat eius emendationem, & confessionem: ne relabatur, caueat; sicque vitam instituat, vt omnia singulis horis ita perficiãtur, sicut diuinæ gloriæ salutiq; cõgruit. At si mentis propensionem in certũ crimen obseruauit: incumbet in eam curam sedulo, vt expugnet, toties certam explendo pœnam, quoties se notarit culpam iterasse; Deum sæpius obtestando, gratiam vt vberem largiatur eius infinitam bonitatem nunquam deinceps sic offendendi.

mortificationis. 22. Concepto autem suiipsius odio salutari, conetur omnes animi prauas inclinationes & passiones vincere, propriam abijcere voluntatem, omnes prauos animi motus, & appetitus refrenare, rationique subijcere; Carnis autem illicitas cupiditates cõtinuo reprimat, corpus seuerè rigideque coercendo, effrenatos dictos motus & appetitus vincendo, prauas consuetudines deprauatæ naturæ, quæ spiritualem animæ progressum, bonorum operum meritum maximè remorantur, extirpando.

23. Quo-

23. Quotidie firmiter proponet vitam in melius commutare, & in diligenti regularum custodia, cultu diuino, virtutumque exercitio progressum facere; nihil aliud noctes & dies animo voluet, quam modum, quo possit maiore spiritus ardore in omnium virtutum perfectione proficere, & noua vitæ cœlestis meritorum incrementa cumulare.

24. Eodem pacto continuo huius vitæ exilium, & offensas Dei deplorabit & deflebit; non proprias tantum, sed & alienas; & interiori animi sensu suspirabit medullitus, dum innumerorum peccatorum animæ salutis æternum discrimen adeunt, qui Sathanico pressi iugo, fœdis corporis voluptatibus, & indomitis cupiditatibus excæcati degunt mortui, licet adhuc corporis ergastulo compediti. Ideo nõ desinat Christo despõsa virgo tot animarum interitum & creatori suo irrogatas tam graues iniurias & offensas ex animo deplorare. simul immensam Dei bonitatem exorando ferui- dè, vt miseris lumen verum vberioris gratiæ largiatur, quo collustrati maturè perspiciant vitæ præteritæ prauitatem, ad frugem se recipiant, dignosque pœnitentiæ fructus agere satagant, quibus veniam cõmissorum, & demum æternæ vitæ præmia mereantur.

deflеat propria & aliena peccata.

Grata sit Deo pro beneficijs.

25. Simili modc quam non meminerit beneficiorum, quæ à benefica Dei creatoris manu tam accepit hactenus, quam indies percipit; præcipuè quod à diuina maiestate è perniciosa fallacique mundi libertate feliciter educta tot è laqueis & periculis salutis erepta, translata sit in cœnobium, vbi abundat occasionibus, & varijs modis innumera bonorũ operũ munia peragendi, peccata declinandi, merita cœlestia cumulandi, quibus demum cœlestis vitæ præmia consequetur.

memor. mortis.

26. Mortem verò non indies solum: sed omni cogitet hora, simulque perpendat, quod se moritura fecisse desiderabit, omnia scilicet totius mundi pia opera fecisse: nec vllum peccatum commisisse.

27. Consideret, quo gaudio solatioque mens perfruetur ob pietatis & virtutis patrata opera; solicitam legum & statutorum ordinis custodiam, & quo conscientiæ remorsu doloreque sit crucianda, cum animi non leui confusione quando tam exigui feruoris & tot defectuũ, ac peccatorum in regulas commissorum fuerit recordata. Quocirca continua vigilantia, studioque pœnitentiæ comparabit se ad terribilem & iure formidandam diem vltimam mortis, horamque iudicij; reuoluendo, quam rigidam se-

seuerissimo iudici vitæ totius redditura sit rationem de tempore professionis in religione transacto, de solicitudine, diligentiaque, quam in cultu diuino & cura salutis habenda tenebatur adhibere. Quam constãter diabolicis tẽtationibus, indomitis animi passionibus, prauis naturæ cupiditatibus, & proprijs desiderijs repugnarit.

28. Denique ponderet, secumque reputet de omni verbo otioso, inani cogitatione, tempore sine fructu præterlapso, quidquid contra Deum, contra salutem animæ suæ, proximumq́ue cogitauit, dixerit, & fecerit de eo exigendam esse rationem; nec locum fore vel excusationis, vel effugij.

29. Cum horrore tremoreq́ue pœnas inferni memoret, totoq́ue cordis affectu disquirat, quam atroces, acerbæ, intolerabiles, incredibiles, & innumeræ futuræ sint, sine fine, termino, requie, sine spe solatij vel auxilij. Nã si quis in hac mortali vel calamitosa vita non sine summo fastidio, molestia doloreq́ue non potest, vel vnam noctem dolores febriles, capitis, stomachi dentium vel aliorum partium corporis tolerare; licet ipsi per se sensim euanescant, qui poterit atrocissimos inferni cruciatus, aspectũ terrificũ tartareorũ spirituum, eiulatus desperantium, & horribiles vlu- *pœnarum inferni.*

latus, clamoresque damnatorum: illam deterrimi carceris & fœtidissimorum antrorum maleolētiam, illas angustias, & innumeras afflictiones, quæ miseræ & infelices animæ æternum patientur, hæc inquā omnia qui poterit sustinere?

Et cœlestis gloria. 30. Denique Christo dicata virgo, & Sponsa feruenti verset animo, quam ingens gloria, fœlix & æterna beatitudo sit, quam Deus omnipotens electis suis, & dilectis animabus, omnibusque, qui constanter, fideliterque ei seruierunt, ex animo dilexerūt, eius diuinis iussionibus paruerūt in regno suo præparabit.

Præsertim verò consideret singularem illam religiosarum Virginum coronam & præmium quæ Deo sanctè seruierunt, sacro feruore, & peruigili cura cor suum purum sponso seruarunt, sensus arctè custodierunt, ordinis statutis, legibusque diligenter obtemperarunt: in orationibus assiduæ, in seruādo silentio solicitæ, feruidæ & ardentes in sancta obedientia, perfecta pauperrate & Angelica castitate, omnibusque ad perfectionem requisitis seruandis exstiterunt: consideret inquam qua speciali gloria tales perfruentur, in illo regno glorioso. Tales profecto virgines religiosæ ad altissimos & sanctissimos S. Apostolorum

lorum sedes in cœlis euehentur, quorum vitam & Euangelicam perfectionem in rigida seueraque vita religiosa spretis huius mundi pompis, opibus & honoribus sunt in bonis æmulatæ.

Hæc sunt breui summa collecta, carissima filia, puncta, quæ Virgo religiosa continuo versare animo, & cogitatione debet, ac moribus exsequi, si viam ingredi certam sacramque salutis ad æternam gloriam desideret, & vitam in gaudio, pace & tranquillitate conscientiæ ac cum innumeris solatijs animæ transigere concupiscat.

DOCVMENTA QVAEDAM SELECTIORA PRO *Virginibus, Deo deuotis in sæculo degentibus.*

1. COr Deo continuo vniat, per ardentes & selectiores adspirationes, & eiaculatorias ad eum directas preces. *Aspirationes.*

2. Cum ijs libenter & crebro loquatur, & agat, à quibus ad amorem Christi potest inflammari.

3. De nulla re tristetur, nisi propter propria vel aliorum peccata, quibus Deus offenditur.

4. Amorem proprium, vt radicem fontemque omnis mali, & incommodi perpetuo supprimat & exstirpet. *Victoria sui.*

5. Tentationes omnes, & tribulationes cum gaudio & gratiarum actione suscipiat à Domino, cum Christi cruciatibus vniat, & Deo Patri pro peccatis ad eius auctiorem gloriam offerat.

Profectus. 6. Serio consideret quomodo posit indies Deo magis placere, veteres defectus & peccata corrigere, speratam cordis puritatem, & alias virtutes obtinere.

7. Iniurias & detractiones omnes æquo ferat animo, pro eo, qui eas infert Deum ex animo precetur, eidem bona præstet, & plura Dei amore pati desideret.

Humilitas. 8. Nihil vnquam boni sibi tribuat: sed se omnibus ducat inferiorem, & omni dignam contumelia, vel iniuria.

9. Exerceat se in vera tam interna, quam externa animi demissione: vitet omnem honorem, amet corrigi & reprehendi: neminem, ne minimum quidem vnquam siue contemnat, aut se viliorem arbitretur.

10. Non sit proprij iudicij tenacior: sed amore Dei superioribus, & maioribus penitus se subijciat & obsequatur.

11. Proximum, cum in periculo patrandi peccati mortalis versatur, sedulo deterreat: vel quouis alio licito modo conetur peccatum impedire.

Occupationes dominicales. 12. Omnem diem festum vel domini-

cum

cum præcipua quadam pietate transigat: orationi magno feruore diligentiaque vacet, tempus reliquum domi lectione librorum spiritualium impendat.

13. Inutilia colloquia, verba otiosa, conuiuia, familiaritates aliorum qualescumque, quæ Dei charitatem imminuunt, velut pestes, & ignem gehennæ fugiat, & detestetur.

14. Ad auditum horæ breuiter discutiat conscientiam, oratiunculâ certâ felicem precetur mortem, vel saltem salutationem recitet Angelicam. *Horaria recollectio.*

15. In colloquijs aliorum assuescat agere de rebus diuinis, præsertim ijs, quæ Dei amorem in cordibus audientium prouocant. *Colloquia pia.*

16. Aliorum defectus ferat æquanimiter, & cum potest in meliorem interpretetur partem, vel excuset, nemini verò eosdem aperiat, nisi qui possunt eos emendare. *Caritas proximi.*

17. De nemine malè suspicetur, aut cogitet, neminem temerè iudicet, suos potius defectus & errata peruestigare & corrigere satagat.

18. Caueat curiositatem omnem, & amet veram simplicitatem.

19. Omni tempore tranquillo sit animo, *Æquanimitas.*

mo, & eodem semper vultu, nec deiectior in aduersis, neque hilarior æquo in prosperis.

Fuga otij. 20. Vitet otium & discursus non necessarios: in his enim vt puluinari quiescit diabolus.

21. Declinet seculares societates, amet solitudinem, non occupet animum audiendis nouis rumusculis: neque ijs vel turbetur, vel lætetur.

Intentio operum. 22. Pia proposita manè concepta per diem sępe renouet, vt eo facilius omnia sua opera minima & maxima purè dirigat ad Dei gloriam.

Modestia. 23. In corporis externa compositione memor sit decentiæ, modestiæque: moribus sit pudica & verecunda, vt castam decet Virginem.

24. Vultu sit hilari, sereno & constanti, demissis oculis, præsertim apud alterius sexus homines.

25. Moderata in incessu, in verbis parca, in omnibus negotijs & occupationibus prudens & circumspecta.

26. In congressu & colloquio præeat omnibus exemplo honestatis, nemini verò sit offendiculo, sermones verò minus pudicos prorsus abhorreat.

27. Corpus neque mollius quam decet, neque

neque quam par eſt, habeat durius, memor diſcretionis & mediocritatis.

28. Veſtes eſſe mundas conuenit, & viles abſque ſingularitate, nec in ijs ſibi placeat, non ſint ſeculari ſtatui; ſed magis religioſæ modeſtiæ accommodatæ.

29. In cibo potuq́ue ſit temperans, iuxta neceſsitatis regulam: ad vires corporis inſtaurandas. *Temperātia.*

30. Quotidie paratum, ſtatumq́ue ſeruet ordinem domeſticarum occupationū, quem ſibi pro diebus omnibus, vel certis hebdomadis præfiniat: particulatim decernendo, quo tempore, laborandum, orandū, aliaq́ue ſpiritualia exercitia ſint peragenda, quando comedendum, incumbendum, vel ſurgendum.

31. Domi in qua plures eiuſdem propoſiti habitant vna ſe alteri ex animo vera cum humilitate & charitate ſubijciat: & obſequijs promptis præueniat; ſicq́ue in pace & mentis tranquillitate Deo viuat & ſeruiat, ſibique ſemper moriatur.

EXERCITIA SEX VTILIA AD *dicta puncta facilius obtinenda.*

1. SAEpius mentem ad Deum eleuet, & ar-

ardenter imploret gratiam & auxilium eius, sine quo nihil ex nobis possumus.

2. Cum in defectum & peccatum inciderit, resurgat ilico, poeniteat ex animo, humiliter confiteatur cum firmo proposito cauendi de cetero.

3. Quotidie sacro missæ officio piè cum gratiarum actione intersit.

4. Omni die Dominica & festo summa cum humilitate & amore communicet, si non reipsa & augustissimi Sacramenti vera perceptione saltem spirituali modo.

5. Magnam attentionem præbeat auditura conciones; vel lectura libros sacros, quasi verba de ore Dei profluerent: aduertat autem, quid ex eo sit opere exhibendum. modum etiam eius perficiendi tacitè secum expendat quantum honori diuino, propriæque saluti congruit.

6. Libenter & promptè superiorum monitis obtemperet, consuetudinem & familiaritatem eorum declinet, quibus non censet animum accendi: sed potius in amore Dei, virtutumque refrigescere.

DO-

DOCVMENTA X. AD VITAM HOmine Christiano dignam congrua, & cuiuis statui, sexuique accommodata.

1. QVoniam salutis nostræ tota ratio in recta intẽtione collocatur; ideo semper omnia vitæ nostræ dicta, facta & cogitata purè sunt ad Dei gloriam dirigenda. *intentio.*

2. Prauis animi cupiditatibus, propensionibus, & desiderijs repugnandum est, compressa peccandi licentia, & amore nimio fluxarum rerum; Quamdiu enim mortale corpus nostrum superest, & viget, semper pugnandum, semper vigilandum est in carnis & sui ipsius victoria consequẽda; nam quo plus voluptatis terrenæ nobis accedit, hoc animus à Deo longius separatur, & plus accresat tormentorum post mortem subeundum. At quantum voluptati decedit, tantundem accumulatur interni, & spiritalis solatij. *victoria sui.*

3. Inclinationes cordis & voluntatis reprime, ac reclude; ne irrepant res caducæ; semper autem Deo, diuinisque rebus pande sinus omnes cordis, vt si eo solo conquiescas. Libera te omni cura & anxia solicitudine tuiipsius. Da terram (quam tamen aliquando cogeris deserere) pro cœlo, quod sperare iuberis; & eris Rex & Dominus *amor Dei.*

to-

totius mundi, poterisque libero, puroque corde Deo adhærere.

humilitas. 4. Humilitas profunda viam pandit securissimam amori Dei. præterea viuum, firmumque fundamentum est omnis sanctitatis: Ex eadem velut radice fœcunda, patientia, vera quies animi & perfectio, mansuetudo, Dei laus, & reliquæ virtutes omnes pullulant.

Amor proximi. 5. Res omnes aduersas, & iniurias patienti mansuetoque perfer animo. Omnes homines cōmuni & vniuersali amore prosequere, cuncta, quæ vides, in melioré partem interpretare: misericordiæ operibus sedulo inuigila; malefacta conare beneficijs compensare, vincens in bono malum.

resignatio. 6. Teipsum totum cum omni voluntate consecra Deo, eiusque potestati sic subijce, vt cum eius voluntate congruat: abdica prorsus à te creatarum rerum amorem, & solatiola. Nulla res contristet animum: nisi qua Deum offendi noueris: nihil delectet, nisi quod Deo placitum & probatum esse scíueris.

recollectio. 7. Discede à nimia & periculosa consuetudine secularium hominum, apud teipsum in animo habita, teque recollige, liber ab omni vanitate, corde purus, in verbis verax, in operibus & negotijs sincerus: Teipsum

ipsum cognosce, oblitus aliorum: semper diuinæ præsentiæ memor.

8. Tota mentis propensio, cordisque desideria semper Deum suspirent, illi inhæreant, eum diligant, cum grata animi significatione: Nihil scias, velis vel possideas sine illo. *præsentia & vnio cum Deo*

9. Sæpè cum pietate recole vitam & passionem Christi: cum illa tuam compara; vide quam propinquè vel remotè absit ab illa singulis in virtutibus; præsertim cum calamitas aliqua diuturnior tibi toleranda est: nam patientia vestis est nuptialis, qua Dominus tuus in cruce voluit amiciri tunc, cum animam tuam velut electissimam sponsam sibi maritauit, vt eam ab æterna morte liberaret. *memoria passionis Christi.*

10. In laude Dei & gratiarum actione semper permane; quidquid enim sumus, vel habemus ab eo nobis promanat. Ideo te ei medullitus offer & consecra tam in tempore, quam æternitate, vt tecum disponat iuxta sanctissimam voluntatem. *Gratiarum actio.*

EPI-

EPITAPHIVM R. D. IACOBI MERLO-HORSTII PASTORIS IN Pasculo Anno 1644. die 21. April. mortui.

Conditur hoc tumulo Iacobus Merlo Sacerdos
Curio dum templi, maxima cura gregis.
Qui cæcis oculus, claudis pes, panis egenis,
Defeßis requies, exulibusq; domus.
Mansuetus, suauisq; bonis, censorq; malorum,
Castus & innocuus, iustitiaq; tenax.
Lux vitæ, morum speculum, pietatis imago,
Sal populi, Cleri regula, forma gregis.
Laudibus his tantis tamen vnica gloria maior,
Post scriptis nituit congrua vita libris.

De libris eiusdem orbi vulgatis ex nomine Anagrāma.


IACOBVS

Anagramma


VOCABIS.


Ostia dum linguis rura, patriosq; penates,
Teq; addit Clero Virgo Colona suo,
Iam studijs culti, & magnis virtutibus aucti
Ecquod erit studium magne Iacobe tuum?
Forte TVBIS, *Clerumq; Dei, populumq;* VOCABIS
In vitia vt iunctis viribus arma ferant?
Forte gregē Christi PARADISI *ad rura* VOCABIS?
Forte & BERNARDI *te duce crescet odor?*
Forte VIATOREM *reuocatum errore monebis,*
Vt sapiens certo tramite figat iter?
Nunc etiam exemplis morū & virtute VOCABIS.
Nempe quod in viuis, post tua fata facis.

FINIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0028481




Idea
Sac